BIBLIOTECA NAZ.
XXV*
C
87
NAPOLI

Digitized by Google

CORN. VALERII VONCK

LECTIONUM LATINARUM

LIBRI DUO.

In quibus plurimi ſcriptores Latini, & maxime Chriſtiani, emendantur, atque illuſtrantur. Alia item nonnulla obſervantur.

TRAJECTI VILTORUM.

Apud HERMANNUM BESSELING.

M D C C X L V.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Digitized by Google

CELSISSIMO.

A C.

SERENISSIMO.

PRINCIPI.

GUILIELMO. CAROLO. HENRICO. FRISONI.

D. G. ARAUSIONENSIUM. ET. NASSAVIORUM. PRINCIPI. COMITI. CATTIMELIBOCORUM. GELRIAE. FRISIAE. GRONINGAE. AGRORUMQUE. CIRCUMJACENTIUM. ET. DRENTIAE. GUBERNATORI. ETC. ETC. ETC.

D. D. D.

Digitized by Google

A quo meae me tenuitatis conſcientia aliquamdiu deterrebat, ut levem hanc opellam Celſiſſimo Nomini TUO inſcriberem, PRINCIPUM SERENISSIME; id variae tandem cauſſae, eaeque tam publicae, quam privatae, perfecerunt. Atque ut ab illis ordiar; occurrebat mihi primum inſignis TUA, qua late celebraris, humanitas, & in tanto faſtigio prorſus admiranda. TUA deinde eruditio, & eruditorum, etiam minorum gen-

tium, favor. Quae vel ſola continuo labantem animum confirmare potuiſſent. Sed & Summus, quo effulges in Gelria mea, Honor id quodammodo a me exigere videbatur, ut TIBI, velut Genio loci Tutelari, me meaque omnia conſecrarem. Atque haec publica ſunt, & mihi cum aliis communia. Ad privata venio. Quid autem hic longa oratione depraedicem egregiam liberalitatem, quam Parenti olim, ſed heu olim! meo per TE experiri licuit? Quid poſt fata ejus, inmatura nimis, plura in familiam noſtram collata beneficia, interceſſione maxime optimi avunculi mei

PIEC-

PIECKII, Noviomagenſium Conſulis, viri, ut notum omnibus, integerrimi, & ſtatione ſua longe digniſſimi? Quid, inquam, haec, & tot alia, multo verborum molimine celebrare adgrediar? TUA morarer tempora, PRINCIPUM CELSISSIME, gravioribus curis deſtinata; & ingentem tantarum laudum cumulum humili ſermone intempeſtivus orator deprimerem.

Te celebrent alii, quanto decet ore, Tuaſque
Ingenio & laudes uberiore canant!

Quae

Quae mearum proprie ſunt partium, paucis expediam. Decreveram CELSITUDINI TUAE publicum aliquod obſequii teſtimonium dare. Ad hoc *Corippum* elegeram, vatem temporibus ſuis majorem. Is tanto mihi videbatur dignior, qui Tali Nomine ſuperbiret; quod ipſe Principis geſta deſcribens, ad Principem ſuo quodam jure ſibi aditum flagitaret. Eum ergo primus ego cum omnibus doctorum notis edere parabam, mea quoque qualicumque cura auctiorem. Et jam in procinctu eram; quum, aliunde mihi ſubſidii ſpe nata, ad ſcriptorem meum magis exor-

nan-

nandum, hactenus iſtud conſilium differre invitus debui. Quare dum haec me morarentur; meam erga CELSITUDINEM TUAM obſervantiam hoſce *Lectionum Latinarum* libellos interim teſtari volui. Agitur in iis de Chriſtianis praeſertim ſcriptoribus. Chriſtiano ergo Principi, & pietate inclyto, erant offerendae. Nec eſt, quod quisquam criminetur ſcriptionis hoc genus a Principali ſplendore remotum nimis. Exempla me tueantur maximorum Virorum; quoſque benignior fama aeternitati dudum conſecravit. A talibus initiis ſeveriora ſtudia paullatim auſpicari

decet; ſi quis rigida lege ſcientiis operari velit. Nos id ſuo forte tempore comprobabimus. TU modo, SERENISSIME PRINCEPS, non dedignare favere conatibus noſtris; & in clientum recipere numerum adoleſcentem hominem; cui nihil aeque in votis umquam fuit, quam ut TUA ſe benevolentia haud penitus indignum praeſtaret. Ita diu interſis populo tuo! Scribebam *Trajecti Viltorum*

CELSITUDINIS TUAE

DEVOTISSIMUS CULTOR

CORN. VAL. VONCK.

LEC-

LECTORI

S.

H*as in Latinos ſcriptores*, & *Chriſtianos maxime*, *animadverſiones tuo*, mi Lector, *judicio ſiſto. Auctiores eas habuiſſes; niſi iter mihi in patriam maturandum fuiſſet, propter cauſſas ſonticas. Etiam, ut ſemel fatear, ita ego comparatus ſum, ut in eadem re longiorem moram nectere mihi ſit pene* ἀδύνατον. *Noſti illud*,

Naturae ſequitur ſemina quiſque ſuae.

Quare, cum ad juſtum ſatis modulum excreviſſe mihi viderentur libelli hi; malui parumper reliqua intermittere, quam mihi taedium parare. Supererant alioqui permulta, & *ad omnis fere generis auctores; quae ſine magno labore in hoc opus potuiſſent conjici. Sed, ut dixi, tempori parendum fuit*, & *genio meo. Neque alia tibi invidebimus, ſi haec placeant. Interim jam de Corippi editione ſerio meditabimur. Multa nobis notata in hunc ſcriptorem; quem innumeris locis emendatio-*

rem dedimus. Equidem ante hos ferme duos annos Altorſii denuo Corippus lucem vidit; at vero, ut verbo dicam, negligentiſſime. Dempſteri notas, quae rerum pondere ceteras omnes facile exſuperant, ultimus Editor plane ignoravit. Nec de Barthii Adverſariis cogitavit hilum; aut Commentariis ejus in Statium, & Claudianum. Nihil de Dempſteri in Roſinum Paralipomenis, Meurſii Critico Arnobiano, Pagii Diſſertatione Hypatica, vel Critica ad Annales Baronii. In quibus tamen egregia paſſim opera navatur Poetaę noſtro. Haec ſane neſcire non debent, qui ſanctisſima veterum monimenta debita religione ſint tractaturi. Abſit vero, ut de eruditione Viri inde velim judicium tuliſſe. Non ſane. Quid in reliquis valeat, me latet hactenus. In hoc autem ſtudiorum genere non profecit multum. Id adſeverare auſim. Certe obſervata ejus critica; quae tamen oppido ſunt pauca, &, ni fallor, una triade comprehenduntur; prorſus jocoſa ſunt. En tibi exemplum! Lib. III. vs. 258. viſitur hodie:

Ter gazis ſuſpexit Avar, ter poplite flexo
Pronus adoravit, terraeque affixus inhaeſit.

Sub-

Subſtituit ὁ κανν, ter facie s. Avar. *At ſi Menandri Excerpta conſuluiſſet, facili negotio potuiſſet animadvertere, nomen Avaris latere; qui legationis Princeps ad Juſtinum miſſus fuerat; atque adeo ſcribendum*, Tergitius, *vel* Targitius ſuſpexit Avar. *Vide Menandrum. Eodem acumine critico correctum ivit haec verba libri II. vs.* 97:

Ipſaque conſpectis gradiuntur lumina
terris.

Fortasſe, inquit, rectius Numina, *pro* lumina, *legeretur. Quid audio?* gradiuntur Numina conſpectis terris. *Huc augures! aruſpices! In Specimine Critico tentabam ego*, conſpectis radiantur lumina terris. *Multo melius; niſi mihimet temere blandior. Alia alibi. Poſt Corippum forte de Martiano Capella disſpiciemus. Meretur is auctor, qui in omnium ſit manibus; barbarus quidem, ſed eruditus. Et adſunt ineditae Nicolai Heinſii in eum notae; quas conceſſit mihi celeberrimi Wesſelingii liberalitas. Duorum item Codicum collationem conſultisſimi Wielingii eximiae humanitati debeo. Aliam item, & ad Mſtum, ut videtur, optimae notae, additis incerta manu variis conjectu-*

jecturis, per communem amicum, ab expertiſſimo Viro, Gerhardo de Windt, Medico Medioburgenſi, & harum deliciarum cumprimis ſtudioſo, inpetrare mihi licuit. Nova etiam ſubſidii ſpes ex Anglia mihi facta eſt, a familiaribus meis. Unde non parum ornatior Capella prodire poterit, συν Θεῳ. *His peractis, ad Juriſprudentiam quaſi poſtliminio revertemur, a Boethii forſan Commentario in Ciceronis Topica exorſuri. Ad quae exſequenda tuum mihi favorem,* mi Lector, *ſpondeo. Vale; & ſi alicubi erraverim, haec conſcripta esſe cogita ea aetate, qua plurimi diſcere incipiunt. Unum id volo; ut, quae habentur pag.* 98. *ſeqq., indignationem ſcias hodiernorum temporum; neque ideo extendenda ad tot egregios viros, quorum ſolidam doctrinam, & non fucatam pietatem, cum bonis omnibus, magni facio. Illos enim hoc modo traducere velle,*

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret
Oreſtes.

Atque hoc in gratiam calumniatorum adjicere placuit. Iterum vale.

Digitized by Google

CORN. VALERII VONCK

LECTIONUM LATINARUM

Lib. I.

Cap. I.

Sulpicius Severus ſaepius emendatur, & illuſtratur. converrere quid ſit. Gellius explicitus. Ovidii locus in principio Metamorphoſeos tentatus. translatus i. e. in coelum translatus. commendatum & commodatum eadem. aliaque.

Auſpicabimur hunc laborem criticum a *Sulpicio Severo*, eleganti profecto veteris eccleſiae ſcriptore, & cum paucis comparando. Is libro 1. *Hiſtoriae Sacrae* Cap. 1. ſic ſcribit: *Viſum autem mihi eſt non abſurdum, cum uſque ad Chriſti crucem, Apoſtolorumque actus per ſacram hiſtoriam cucurriſſem, etiam poſtgeſta convertere, excidium Hieroſolymae, vexationesque populi Chriſtiani, & mox pacis tempora, ac rurſum eccleſiarum in-*

Digitized by Google

teſtinis periculis turbata omnia locuturus. Ne locus ſanus ſit, efficiunt illa *etiam poſtgeſta convertere*; quippe quae ſententiam prorſus evertunt. Giſelinus, ut opitularetur Sulpicio, reſcribebat *connectere*. Joannes Arcerius, vir doctus, ad marginem exemplaris ſui, quod mecum communicavit celeb. Wesſelingius, forte legendum notat *contexere*. Utrumque nimis abit a ſcriptura veteri, & mente auctoris. Ego, ut primum inſpexeram Severi verba, illico reponebam *converrere*: id quod deinde, & plura alia, jam occupasſe vidi erudit. Joh. Dan. van Hoven *in Veris & Veroſimilibus*, p. 48. 65. Sed meliora nunc edoctus muto ſententiam. Vide enim, quam aegre τῷ *cucurriſſem* reſpondeat *converrere*. Noſter in metaphora eſt ab itinere; in hac ergo ut perſiſtat, alio ipſi modo ſuccurrendum erit. Nec etiam, quod paullo poſt ſequitur, *locuturus*, admittit emendationem iſtiusmodi. Conſidera mihi, ſi quis ita ſcriberet: ubi per veteres hiſtorias *cucurrerim*, etiam *converram* recentiores, *locuturus* excidia urbium, vexationes, & alia; illene tibi videretur ſatis latine ſcripſiſſe? Equidem, quae mei forte ſtomachi malacia, non concoquo. Et quid tibi *converrere*? ſine ullo delectu, opinor, undique corradere inmenſam, ac male diſpoſitam rerum farraginem. Ea certe verbi notio apud Gellium, qui firmandae huic correctioni adducitur. Audi eum *Praefat. Noct. Attic.* p. 7: *Namque illi omnes, & eorum maxime Graeci, multa & varia lectitantes, in quas res cumque inciderant, alba, ut dicitur, linea, ſine cura diſcri-*

criminis, *ſolam copiam ſectati converrebant.* Vides, *converrere* non aliud eſſe Gellio, quam multa & varia, in quaecumque incidimus, ſine ulla diſcriminis cura, in unum conducere; unde dein exſurgat *rudis indigeſtaque moles*,

Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

In quo Ovidii loco malim, *compoſtaque eodem*, aut *conjectaque*; quum enim priori verſu habeamus *indigeſtaque*, in ſequenti vix fero *congeſtaque*. quamvis nec iſtud exemplis careat. de quo alibi. Interim paret, alieniſſimam eſſe hanc ſignificationem a Sulpicii loco; quem puto laetioribus auſpiciis integritati ſuae reddemus, ſi ita legamus: *Viſum autem mihi eſt non abſurdum*, *cum usque ad Chriſti crucem*, *Apoſtolorumque actus*, *per ſacram hiſtoriam cucurriſſem*, *etiam* in *poſtgeſta convertere*. Facillima, per genium meum! inmutatione. Praecedens *in* quantillo negotio potuit exitio eſſe infeliciſſimae praepoſitioni *in*; cujus vicem merito eſſet quod doleremus, niſi jam vindicata foret. Nunc ei mecum poſt tantas moras την αγαθην τυχην gratulare. Ut autem Sulpicius *in poſtgeſta convertere* dixit, eadem loquendi ratione apud Ciceronem habes, *convertere ſe in Aſiam*; quem nec Lexicographi praetereunt. Et propius ad eum modum etiam hic ſcribi poſſet, *cum usque ad Chriſti cr. Ap. a. cucurriſſem*, me *etiam* in *p. convertere*. Per ultimam prioris vocabuli literam, & initialem ſequentis, haud ſane difficulter & illud *me* neglectum fuit. Vel ſic tamen adtende, an omnia

ſe bene habeant. Poſtremum quod adſcripſi *locuturus* a quo pendeat, vix liquet. Certe ſi Grammaticorum canones ſecutus fuiſſet Severus, dixiſſet aliter. Putabisne legendum? *cum u. ad Chr. c. Ap. a. cucurriſſem, ut jam in poſtgeſta converterem, exc. Hier.* &c. Ita dubii reſtabit nihil. Sed apud Juſtinum aliosque ſimilia offendi non ſemel.

Sequitur continuo. *Ceterum illud non pigebit fateri, me, ſicubi ratio exegit, ad diſtinguenda tempora, continuandamque ſeriem, uſum eſſe hiſtoricis ethnicis.* cet. Jo Arcerius *hiſtoriis* malebat. Quam vero ob cauſſam, me latet.

Cap. 11. *Deinde ex his Cain & Abel naſcuntur. Sed Cain impius fratrem interemit. Filium Enoch habuit.* Lego, *fr. interemit. Is f. En. h.*

Non multo poſt. *Jared Enoch genuit: qui ob juſtitiam tranſlatus a Deo traditur.* Sic *tranſlatus* ſimpliciter dicitur, qui in coelum tranſlatus eſt. Cap. 45. (ſequor autem editionem Jo. Clerici) *Hoc regnante Helias traſlatus traditur.* De utrisque, Enocho & Helia, eodem modo Lactantius, ſive quis ſit auctor libri *de mortibus perſecutorum*, Cap. 2. quem locum notavi, &, ni fallor, emendatiorem dedi *Specim. Crit.* pag. 73. 74.

Sub fin. Capitis. *Hi paullatim mores noxios conſerentes, humanam corrupere progeniem, ex quorum coitu gigantes editi eſſe dicuntur, cum diverſae inter ſe naturae permixtio monſtra generet.* Forte, *exque eorum c. g.*

Cap,

Cap. III. fin. *Rurſum remiſſa* (columba) *folium olivae retulit: manifeſtum indicium, nudari cacumina arborum. tertio demum emiſſa non rediit: unde animadverſum, aquas deſtitiſſe.* Scribendum puto, *u. animadverſum, aq. deſediſſe.* Jo. Arcerius *reſediſſe* volebat. Quid ſi per affinitatem literarum antecedentium vox aliqua exciderit, ac legamus? *Unde animadverſum, terram aquas deſtituiſſe.* Aſt quia audacior haec conjectura, abſtineo manum.

Cap. IV. *Igitur vacuo tum ſeculo, ex filiis Noë Sem fuit. Tres enim habuit, Sem, Cham, Japhet.* Veriſſima eſt Amici mei lectio, *ex filiis Noë ſemen fuit.* Pro recepta ſcio quid adferri poſſit. Sed acumen illud aliis relinquo, quibus licet tam altum ſapere.

Cap V. *Abram uxor Sara dicta eſt.* Cum doctiſſ. Arcerio ſcribe *Sarai.* Mox demum capite ſequenti ex *Sarai* mutatum ejus nomen in *Sara* prodit. Verba nunc adſcribam, ut ſimul noris, quo pacto iis mederi inſtituerit laudatus Arcerius.

Cap. VI. *Tum ei, atque uxori ejus, adjectione unius literae nomen immutatum: ita nunc ex Abram Abraam, ex Sarai Sara dicitur.* Legendum cenſet vir eruditus, *Tum ei adjectione, atque uxori ejus abjectione unius literae nomen immutatum.* Et ſic ſenſus exigit; cui leviori remedio ſuccurres, ſi dicas, τὸ *adjectione* compendio exaratum paullatim in *atque* commigraſſe; ſcribendumque adeo, *Tum ei adjectione, uxori ejus*

jus abjectione u. l. n. imm. Nihil tamen definio.

Eod. Cap. §. 6. *Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo aegrius vetitis abſtinetur) reflexit oculos, ſtatimque in molem converſa traditur.* An? *reſllexit oculos, ſalisque in molem c. tr.* Arcerius ſuſpicabatur, *ſtatimque in molem ſalis converſa traditur.* majori mutatione; ſed eodem ſenſu.

Cap. IX. princ. *Sed Lia oculis deformior, Rachel pulcra fuiſſe traditur.* Arcerius *oc. debilior.* Fruſtra; aut ego lippio.

Ibid. §. 4. *Tum Jacob redire ad patrem cupiens, cum ei Laban ſocer partem pecorum mercedem ſervitii dediſſet.* Parum refert; malim tamen, *p. pecorum in mercedem s. d.* Poſt *dediſſet* interponendem credit *abiit* Jo. Arcerius. Verum ad ſequentia non adtendit vir optimus; ſtatim namque pergit Sulpicius, *ob quae parum ſibi eum aequum gener Jacob ratus, dolum ab eo ſuſpectans, clam* profectus eſt, *viceſimo primo fere anno, quam advenerat.*

Poſt pauca. *Tum ille obviam fratri proceſſit: nec tamen Jacob ſe ultra fratri credidit.* Lege *ultro.* Poſtremum etiam *fratri* a gloſſa videtur.

Cap. XIII. §. 6. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturae, et agnitionem dei, et omnem juſtitiam complexus.* Haud dubie ſcripſerat auctor, *lege naturae et agn. D.* &c.

Cap. XIV. *At Hebraei multiplicato ſervitutis malo preſſi, querelis in coelum converſi, ſpem auxi-*

auxilii a Deo exſpectabant. l. *querelis in coelum converſis, ſp. a.*

§. 5. *Dat populo diſcedendi poteſtatem, modo ut ſuperductam cladem averterent.* An? *ſupradictam cl.* Non obtrudo.

Cap. xv. §. 5. *Jamque eminus arma ſignaque & protentae patentibus late campis acies viſebantur, cum Hebraeis metu trepidis, & coelum adſpectantibus, Moyſes a Deo monitus percuſſum virga mare diſcidit.* Alio modo *percuſſum mare* dicitur Juvenali *Sat.* I. vſ. 54. *Et mare percuſſum puero, fabrumque volantem.* Vide, ſi tanti ſit, Commentatores. Ad *diſcidit* notat Arcerius, DIFFIDIT, *ut* Hor. *diffidit urbium portas vir Macedo.* Horatii locus eſt lib. III. *Carm.* 16. Ceterum emendatione iſta facile carebimus; vulgata enim piſce ſanior.

Sequitur. *Ita populo, cedentibus in latera aquis, velut in continenti, iter pervium fuit.* Sedulius lib. I. *Paſchal. Carm.* vſ. 120. ſeqq:

Pervia diviſi patuerunt caerula ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis ſpoliatur aquis.

Confer. quae ibi habentur reliqua, & Alcim. Avit. lib. v. *Poemat.* vſ. 588. ſeqq. aliosque complures.

Cap. XVIII. §. 3. *ſi quis ſervum proprium ſervamve percuſſerit, exque eo ictu perierit, reus judicio fiet.* F. *isque eo i. p.*

Si

Si quis, continenter addit, *partum non deformatum mulieri excusſerit, neci dabitur.* Quae hic moliuntur Interpretes, ne hili ſunt. Leviſſima correctione omnia fient plana, & aperta. Quam, ne multis te morer, en accipe: *Si quis partum nondum formatum m. exc.* Idem etiam in mentem venerat Arcerio.

§. 6. *Commendatum pecus a beſtia interceptum, non reſtituetur.* Arcerius *commodatum.* Sed *commendatum* & *commodatum* nihil differunt; paſſimque adeo & Ictis, & auctoribus aliis uſurpantur promiſcue. Quod qui exemplis probare vellet, ridiculus foret. Tam clara res eſt.

Nonnullis interjectis. *Coitiones in teſtimonium falſum, aut in quacunque malitia, non eſſe faciendas.* l. *in quamcumque malitiam.*

Cap. XIX. *Tabulaeque, quas Moyſes prius confregerat, refectae. Sed in hoc colloquio Dei* XL *diebus diverſatus apud Dominum traditur.* l. *et in h. c.*

Cap. XX. *Exin Leviticus liber ſequitur, in quo litandi praecepta traduntur, mandata etiam latae ſuperius legis adduntur, plena omnia ſacerdotalibus inſtitutis.* Scribe, *m. etiam latae ſup. legi add.* ut conſtet rei veritas, & mens auctoris.

CA-

CAPUT II.

Iterum pluribus in locis corrigitur, aut explicatur Sulpicius Severus. Joſephus Iſcanus tentatur. Juvenalis emendatur, et Althelmus. facies libidinis, ſcelerum. Sarepta oppidum. obtulit i. e. offerre voluit, & ſimilia. arma & arva confunduntur. Rutilii unus locus tentatur, alter corrigitur. victus ac vinctus permiſcentur.

Pergimus operam navare Sulpicio Severo. Plura enim debemus ſcriptori optimo, ſed male feriatis ſaepe librariis peſſime habito.

Cap. XXI. §. 5. *Seon quoque regem Amorraeorum perculit, omniumque eorum oppidis potitus eſt.* l. *omnibusque e. opp. p. eſt.*

Cap. XXIII. *Verum Gabaonitae, gens valida, ex urbe opulenta, ultro ſe Hebraeis dederunt.* Arcer. *dediderunt.* recte omnino.

§. 3. *Merito fidei dux Hebraeus noctem avertit.* Ita Oroſius lib. I. *Hiſt.* C. 3. *paucis in arca fidei ſuae merito ad ſubſtituendam originem reſervatis.*

§. 6. *Sedentes munera exſpectant, atque omne vitae decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem praeferunt ſanctitatem.* Scribi poſſet *mercede conductum.* Sed *corruptum* melius *vitae*

decori obponitur. Quare prior lectio non movenda.

Paullo poſt. *Eodem tractu Jeſus mortuus eſt, anno aetatis decimo & centeſimo.* Malo, *eodem temporum tractu.* Sic enim perpetuum loquitur. Cap. 13. *hoc tractu temporum Job fuit.* lib. II. *C.* 5. *hoc tractu temporum Nabuchodonoſor elatus rebus ſecundis.* Similiter cap. 9. 12. 33.

Cap. XXIV. *Donec priſtinum Debbora mulier ſtatum reddidit. Adeo nihil ſpei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio defenderentur. Quanquam haec in typum Eccleſiae forma praemiſſa ſit, cujus auxilio captivitas eſt depulſa.* Illud *forma* prorſus hic deforme eſt, & a ſententia remotiſſimum. Cl. van Hoven *in Veris & Veros.* p. 80. *foemina* legit. An *forſan* ſcribendum? Aut, *q haec in typum eccleſiae formandum praemiſſa ſit.* Viderint critici.

Cap. XXV. *Dominus, inquit, tecum, potens in virtute. At ille voce humili non eſſe in ſe Dominum ingemiſcebat.* Arcerius *non eſſe ſibi Dom.* enormi plane mutatione. Propius accederet, *non eſſe cum ſe D.* conf. libri *Judicum* Cap. VI. vſ. 13.

Poſt pauca. *Ille vero abnuere, ſe infractis ſuorum viribus, cum ipſe minimus eſſet, tantum onus ſuſcipere.* Nihil in his, quod medicina egeat. vid. praeter cl. van Hoven p. 81. eruditiſſ. Scheffer. lib. *Adverſar.* Cap. 6. in vol. VIII. *Obſerv. Miſcell. p.* 409.

Cap. XXVI. *Sed defuncto Gedeoni.* l. *Gedeone.*

§. 4.

§. 4. *Quo tempore eis Dominum invocantibus, divinum ſcilicet reſponſum redditum eſt.* Verba *divinum ſcilicet* gloſſam ſapiunt. *Reſponſum* hic ſimpliciter pro divino poſitum, ut ſaepe.

§. 6. *At illa, non feminea conſtantia, mori non recuſans, duos tantum tamen menſes vitae ſpatium petit, ut aequales ſuas prius videret.* Alterutrum, *tantum*, vel *tamen*, abundat, & delendum.

Cap. XXXII. *More vulgi, cui praeſentia faſtidio, inſueta deſiderio ſunt.* Joſephus Iſcanus *de Bello Troj.* lib. VI. ℣. 293:

Diſſenſu vario certat favor: his nova ſemper
Grata magis, veteriſque jugi faſtidia tolli
Clamant: aſt aliis notos mutare moleſtum.

Ita enim legendum arbitror. Editur vulgo, *veteriſque jugi faſtigia tolli clamant.*

Cap. XL. *Sicut in hoc ipſo noſtro opuſculo futurum credimus, ut deſcribentium incuria, quae non incurioſe a nobis ſunt digeſta, vitientur.* Idem de ſcriptis ſuis praeſagium fuit Althelmi lib. *de octo princip. vitiis*:

Non tamen arbitror, quod aceſcant prorſus in aevum,
Aut dentes ſtridant in potu ſorte bibentum;
Ni fallax caupo ſtrophas infundat aquoſas,
Qui ſolet interdum mercantes fallere lymphis,
Dum ſtudet in cupis defruti perdere nectar.

Verus, & heu nimium verus vates erat Althelmus!

quippe qui foediſſime corruptus, ac ſine more ab inſulſis amanuenſibus dilaniatus, inhoneſta paſſim vulnera oſtentat; ut plurimis id exemplis docuit vir ſummus Jo. Fr. Gronovius *Obſerv. ad ſcript. Eccles.* & nos ſuo loco oſtendemus.

Sequitur apud Sulpicium. *Igitur Salomon coeptum templi opus vigeſimo anno explicuit.* Arcerius *explevit.* Absque ulla ratione ſontica. Vulgata longe melior.

Non multo poſt. *Quod jampridem impletum videmus, & mox connexum rerum ordinem exponemus.* F. *q. jampr. impletum videbimus, ut mox c.* &c.

Ibid. *Quique ſemper ordo rerum eſt, ab opibus in luxum & vitia delapſus.* Lucanus lib. I. ℣. 160:

Namque ut opes nimias mundo fortuna ſubacto
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis,
Praedaque & hoſtiles luxum ſuaſere rapinae.

Petronius *in Specimine belli civilis* (quo nomine ſe primum illud adpellasſe *ad Claudianum* refert Barthius) fere habet paria:

Ipſa ſuas vires odit Romana juventus,
Et quas ſtruxit opes male ſuſtinet. adſpice late
Luxuriam ſpoliorum, & cenſum in damna
furentem.

Juvenal. *Sat.* VI. verſ. 294:

Nullum crimen abeſt, facinusque libidinis, ex quo
Pau-

Paupertas Romana perit. Ubi *facieſque libidinis* velim reſcribi. Quo modo & corrigendum cenſeo Althelmum *de laude virgin.* num. 8. in S. Luca:

Uberius deinceps animarum crimina ſontum,
Et ſcelerum facinus, quae mentis vulnera patrant,
Diſcipulus Pauli ſcripturae dogmate dempſit.

Lego, *& ſcelerum facies, q. m.* Virgil. VI. *Aen.* 560:

Quae ſcelerum facies? o virgo effare.

Cap. XLI. fin. *Crebra deinde inter reges praelia: dubio eventu regnum obtinebant.* Cl. van Hoven *in Veris & Veros.* p. 87. malebat, *praelia dubio eventu regnum obterebant.* Et ſic ipſe conjeceram. Nunc autem praefero, *praelia d. ev. regnum collidebant.*

Cap. XLIII. *Quo tempore Helias propheta oratione coelum concluſit, ne pluviam terrae daret.* Arcerius *c. clauſit.* At quid exigit?

§. 3. *Inde admonitus a Domino, Sareptae oppidum petiit: ad mulierem viduam divertit.* l. *petiit, et ad m. v. div.* De *Sarepta* oppido vide Commentatores *in Corripp.* l. III. vſ. 88. ad quem etiam conf. Sirmond. *not. ad Sidon.* Carm. 17. To. I. *Collect. op. var.* p. 770.

§. 5. *Siquidem divinis incrementis tantum accreſceret, quantum quotidie detrahebat.* Arcer. *accreſcebat.* Perperam omnino; ut quivis videt.

§. 8. *At ille caeſum vitulum impoſuit, quum prius ſacrarium aqua oppleſſet.* Poſt *vitulum* deſiderari forte *altari & lignis* notat Arcerius, ob III. *Reg.* 18. ℣. 33. Verum nihil inpedit, quo minus haec, & commode, ſubaudiantur. Adſcribere potuerat vir doctus locum ex Virgilii I. *Aen.* 53:

——— *Et quisquam numen Junonis adoret*
Praeterea, aut ſupplex aris imponat *honorem.*

Cap. XLVII. *Elatusque ſecundis rebus, illicita praeſumens, incenſum Deo obtulit.* Non quidem Ozias incenſum obtulit; ſed offerre voluit. Paſſim ita loquuntur Jurisconſulti Romani, & alii quoque. vid. nobiliſſ. Barth. *ad Optat. Milevit.* lib. I. *de Schism. Donatist.* Cap. 3. et quae non ita pridem plura obſervavit celeb. Elsnerus *Diſſ. ad Genes. III.* 22. in *Symb. liter. Bremens.* To. I. P. I. pag. 36. 37.

Cap. XLVIII. *Exceptusque a ceto, marino monſtro, ac devoratus, poſt triduum fere Ninivitarum litoribus ejectus juſſa praedicat.* Illa *marino monſtro* ſunt glosſatoris. Nullibi apud Sulpicium, etiam in minus notis, & obſcurioribus, occurrunt interpretationes ejusmodi.

Cap. L. *Ut poſtremum decem tribus, in captivitatem nuper abductae, ſacrilegii poenas diſſolverent.* Arcer. *perſolverent.* Non eſt, cur immutemus lectionem probe ſanam.

§. 5. *Rex Aſſyrius portis adſultans, minitari excidium, deditionem imperare; Ezechiam fruſtra Deo confidere; ſe Dei nutu potius arma ſup-* *pres-*

preſſiſſe, victorem gentium, everſorem Samariae, effugi non poſſe, ni matura deditione ſibimet conſuluiſſent. Τὸ *ſuppreſſiſſe* omnem hic ſenſum ſupprimit; quovis ergo meliori modo vicisſim ſupprimendum. Id ut agant plerique Interpretum *ſumſiſſe* reponunt. Cui vero conjecturae merito aſſenſum denegat cl. van Hoven; quod a ſcriptura longius recedat. Ipſe itaque legere mallet *ſuſcepiſſe*, in *Veris et Veros.* p. 92. 93. An verius neſcio. Si mihi arbitrandi jus eſſet, ſcriberem: *ſe Dei nutu potius arva ſua preſſiſſe.* Et *ſua* eſt Ezechiae, *ἀντὶ τοῦ ejus*; quo modo optimi quique loquuntur; & hujus maxime aetatis auctores. Quamvis ad regem quoque Aſſyrium referri poſſet, qui arva Judaeorum, quo erat faſtu ac tumore, *ſua* vocet, quaſi ſibi debita, & pleniſſimo jure poſſeſſa. Firmatur noſtra emendatio ex libro IV. *Regum*, Cap. 18. ℣. 25. Quoties autem *arma* & *arva* permiſceantur, docet celeberr. Burmannus ad illa Rutilii lib. I. *Itin.* ℣. 83:

> *Quid ſimile? Aſſyriis connectere contigit arma;*
> *Medi finitimos quum domuere ſuos.*

Ubi legendum putat vir de Latinis literis optime meritus:

> ——— *Aſſyriis connectere contigit arva:*
> *Medi finitimos tum domuere ſuos.*

Et *tum* explicat *deinde.* Mihi Poetae verba videntur conſtituenda hunc in modum:

> *Quid ſimile? Aſſyrii connectere contigit arva*

Me-

Medis, finitimos quum domuere ſuos.

Adjuvat Claudianus, quem Caſtalio quoque, aliud agens, adduxit, lib. III. *de laud. Stilic.* ỽ. 162:

Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes.
Subjecit Macedo Perſen.

Sane etiam apud Rutilium ſequitur:

Magni Parthorum reges, Macetumque tyranni
Mutua per varias jura dedere vices.

Sin minus iſta placeant, ſcribi poſſet:

——— *Aſſyriis connectere contigit arva;*
Medis, (contigit arva connectere) *finitimos quum domuere ſuos.*

In eodem Rutilio ỽ. 100. hujus libri leve mendum. Editur:

Hos potius dicas creviſſe in ſydera montes,
Tale giganteum Graecia laudat opus.

l. *Tale giganteum Graecia laudet opus.* Barthii *quale* remotius eſt.

Cap. LIII. Sub init. *Namque eum Nechao rex Aegypti vinctum captumque duxit.* l. *victum.* ut contra lib. II. C. 26. pro, *Ariſtobulum victum Romam mittit*, ſcribendum *vinctum.* quod dudum obſervarunt alii. conf. *Spec. Crit.* p. 99. Atque haec ad librum primum notaſſe ſuffecerit.

CA-

CAPUT III.

Porro Sulpicius paſſim emendatur, vel explicatur. Hiſtoria Suſannae. intaminatus verbum Horatii. antecaptivitas una voce. ſemperlenitas etç. barbaricus. Iſcanus correctus. Idem, et Terentii locus tentatus. Althelmo ac Corippo reſtituta lectio. omina et omnia permutantur. atque alia.

Progredimur ad alterum librum *Hiſtoriae Sacrae* Severi Sulpicii; nam et in eo non pauca occurrunt medelam expoſtulantia. Quibus pro virili oportet ſuccurramus. Id igitur, quod felix fauſtumque ſit, nunc agam.

Cap. 1. *Maxime itaque Danielis egregiam ad conſervandam legem perſeverantiam, et in abſolutionem Suſannae divino conſilio, ceteraque ab eo geſta ordine perſequemur.* Sigonius, *in abſolutionem Sus. divinum conſilium.* Druſius *in* expungit; quod et viſum Arcerio. Vorſtius Sigonium ſequitur. Forte nulla indigemus mutatione. Dicit, ordine ſe perſecuturum Danielis ad conſervandam legem perſeverantiam, et geſta ab eo divino conſilio in abſolutionem Suſannae, (i. e. ut Suſanna abſolveretur,) ceteraque quae perpetravit plura. Prorſus autem non video, quo minus Sulpicio ſcribere licuerit, *gerere hoc, vel illud, in abſolutionem alicujus,* ut

 aliis

aliis centies, *in utilitatem*, *vel perniciem alterius geſtum*, *factumve* quidquam dicitur. Quod ſi alicui tanta, quaevis etiam optima, refingendi cacoethes; nullo negotio ſibi indulgere poſſet, legendo, *et inde abſolutionem Suſannae divino conſilio*, *ceteraque ab eo geſta ordine perſequemur*. Sed aut ego caecutio, aut nihil emendandum. Ceterum ad hiſtoriam Suſannae conferri meretur Alcimus Avitus lib. VI. *Poemat.* ſive *de laude virginit.* ℣. 559. ſeqq. Eandem Nicod. Friſchlinus, vir excellentis ingenii, et meliore fato dignus, eleganti exſecutus eſt Comoedia; quae in *Operum* ejus *Poeticorum parte Scenica* ordine adparet ſecunda.

Cap. III. *Igitur Daniel multis a rege muneneribus donatur*, *praefectus Babyloniae*, *atque omni imperio in ſummis honoribus habebatur.* l. *mun. donatus*, *pr.*

Cap. X. *Per idem tempus Esdras ſcriba legis poſt viginti fere annos quam templum fuerat conſummatum*, *defuncto jam Dario*, *qui unum de viginti annis rerum fuerat potitus*, *permiſſu Artaxerxis ſecundi*, *non illius*, *qui inter duos Xerxes fuit*, *ſed hujus*, *qui Dario Ocho ſucceſſerat*, *Babylonia profectus*, *multisque eum ſecutis*, *Hieroſolymam pervenere. Vaſa quoque diverſi operis*, *et dona*, *quae Rex templo Dei miſerat*, *cum duodecim Levitis.* Male affecta haec eſſe nemo negabit, cui cerebrum. Victor Giſelinus legit, *multique eum inſecuti Hier. perv.* Druſius, *m. eum ſecuti.* quod perinde. Petri Galeſinii *pervenit*

venit magis probat Jo. Vorſtius. Locum ego perverſa interpunctione laborare autumo, ac diſtinguendum: *Babylonia profectus multisque eum ſecutis Hieroſolymam. Pervenere vaſa quoque diverſi operis, & dona.* Acutiores inquirant.

Cap. XII. *Mihi tamen viſum eſt, huic Artaxerxi, ſub quo Hieroſolyma eſt reſtituta, Heſter hiſtoriam connectere: quae ante fuit veriſimilis: ut, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, cujus tempora complexus eſt, nullam tam illuſtris feminae mentionem retuliſſet, maxime cum ab illo Artaxerxe inhibitam templi aedificationem, ſicut ſupra memoravimus, conſtet.* Portentum ſententiae! quod Car. Sigonius ita expiatum ivit, *quia haut fuit veriſimile, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, qui ejus tempora complexus eſt, nullam tam illuſtris foeminae mentionem retuliſſe.* Giſelinus volebat: *connectere. quia haut fuit veriſimile, ut, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, qui hujus tempora complexus eſt, nullam tam illuſtris foeminae mentionem retuliſſet: maxime* &c. Paria fere Vorſtius. Nimis vero haec abeunt a recepta ſcriptura; nec admittenda ideo. Mihi conſideratis omnibus vero videbatur propius, *connectere: quando fuit* (vel *ſit*) *veriſimilius, ut, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, qui hujus tempora complexus eſt, nullam tam i. f. mentionem retuliſſet; m.* Eſt autem *ut ſi* idem ac *quam ut ſi.* Sic ſaepe aliis *quam* omittitur, ſenſu longe obscuriore. Ultra conjecturam tamen non deputo. Addit Sulpicius, *neque Heſter paſſura fuerit tum, ſi in illius matrimonio tum fuiſſet.* Prius *tum* ex poſteriori irrepſit credo. Niſi quis malit, *ne-*

que H. paſſura fuerit eum, ſi.

Cap. xiv. *Sed quis eo tempore Perſis regnaverit, hiſtoria divina non edidit.* Arcerius *in Perſis.* Parum intereſt.

§. 6. *Unde non immerito in argumentum noſtrae opinionis adduxerim, ut rex ille, Nabuchodonoſor nuncupatus, Ochus fuerit, ſub quo Baguam fuiſſe mundiales hiſtorici prodiderunt.* Arcer. *in arg. n. op. adductus fuerim.* Non male. Idem, ut latinius, praeferret *mundani hiſtorici.* Verum jam notavit Druſius, Prudentium, & alios eodem modo loqui. Cur ergo immutemus?

§. 7. *Dei ſpiritu praevalente, ut intaminata ab ore corrupto,* &c. *Intaminatus* Horatii vocabulum eſſe recte obſervat Arcerius; Graecis ἀμίαντος. Unicus Flacci locus eſt lib. III. *Carm.* 2. ℣. 18. *Intaminatis fulget honoribus.* ubi omnino conſuli meretur magnus Bentlejus. qui &. Sulpicium non neglexit.

Cap. xv. *Sed impares ad reſiſtendum, neque ad deditionem adquieſcentibus animis, expertis quippe usque ante captivitatis mala, ad templum frequentes concurrunt.* Una voce ſcribendum puto *antecaptivitatis.* ut lib. I. Cap. I. *poſtgeſta.* Apud Terentium ſimiliter *ſemperlenitas;* & in Diſtichis, quae Catonis dicuntur, *ſemperpatientia.* vid. doctiſſ. Arntzen. ad l. I. *Diſt.* 38. Cl. Cannegiet. *Reſcr. Boxhorn.* p. 141. & alios.

Cap. xvi. *Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi conſuetudinem ſibi, barbaris fidem fecit,*

Ho-

Holofernem cupido inceſſit, dediticiae corpore abuti. l. *Sed ubi per triduam egr. ac. r. conſuetudinem ſibi barbarus fidem fecit, Hol. c. i.* Antea tentabam, *Sed ubi per triduum egr. ac. r. conſuetudine infidis barbaris fidem fecit, H. cup. inc.* Nunc alterum magis placet.

Pergit. *Etenim forma excellenti Perſam facile permoverat. Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducunt.* l. *Perſas.*

§. 8. *Fuit autem ultra omnes cruentus, & plusquam barbaro animo.* Arcerius, BARBARICO, *ut* Cicero *ex Poeta, praetulerim, &* Apul. *barbaricis moribus.* Plaut. *Capt. Scena Miſer, barbarica lege, &c.* Illum Poetae apud Ciceronem locum non memini. Apuleji eſt lib. x. *Metamorph.* p. 214. ed. Pric. *Nec, ad inſtar barbaricae feritatis, vel tyrannicae impotentiae damnaretur aliquis inauditus.* Hunc enim ab Arcerio puto innui. *Barbaricis* certe *moribus* alibi in Apulejo non inveni. nec multum laboro. *Feritas barbarica* etiam eſt apud Hegeſippum, aut incertum potius *de excidio Hieroſolymitano* ſcriptorem; quem Pricaeum jam video adduxiſſe. *Barbaricis amiculis* Apulej. cit. lib. x. *Met.* p. 233. Plauti *in Captivis* A. III. Sc. I. haec ſunt:

Nunc barbarica lege certum eſt jus meum omne perſequi.

Quod ad Sulpicium, Arcerii correctionem plane inportunam cenſeo. Sic enim ſi inſtituamus,

nihil poſthac tam ſartum tectumque fuerit, quin a manu prurientis critici laeſum abeat. Meliori forte jure vocem illam reddemus Iſcano lib. IV. *Belli Troj.* ℣. 230:

> ———— *Nam ceu Balearicus augur*
> *Gentiles diſtinguit aves, vel voce, vel alis,*
> *Vel geſtu vario, venturis omina ducens.*

Augures Balearici ignorantur; & quae doctiſſ. Dreſemius notat, incerta ſunt, ac nullo nituntur fundamento. Veriſſimum arbitror, *nam ceu barbaricus augur.* Illa, *diſtinguit aves, vel voce, vel alis*, ſunt ex imitatione Virgilii III. *Aen.* 360. *Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae.* quem etiam in animo habuit Martian. Cap. l. I. p. 4. prout eum legendum monui *Spec. Crit.* p. 79. Pro *omina ducens* ſi quis mallet *o. dicens*, non repugnarem. Althelmus *depromens* dixit *de laude virg.* in S. Sylveſtro:

> *Sic ait Auguſto depromens omnia ſomni.*

l. *omina ſ.* An & hoc pacto reſcribendum in Terent. *Andr.* A. I. Sc. I. ℣. 69?

> ———— *tum uno ore omnes omina*
> *Bona dicere, & laudare fortunas meas.*

Legimus hodie, *omnia bona dicere.* Sic *ſecunda omina* Plin. *Panegyr.* Cap. 29. *Inter ſecunda omina, & vota certantia.* Ubi eadem confuſio. vid. meritiſſimum Praeceptorem meum Jo. Arntzenium. Sed de Terentio quidem pronun-

nunciare nondum audeo; cujus receptam lectionem, praeter alios, firmat Tacitus 1. *Annal.* C. 42: *Hunc ego nuntium patri*, laeta omnia *aliis e provinciis audienti*, *feram?* Certior in Corippo emendatio, lib. 1. *de laud. Juſtini min.* ℣. 57:

Haec ne vana putes, aut credas omnia fingi.

Sine dubio reponendum, *aut. c. omina fingi.* Adſtipulante illuſtri Heinſio *ad Sabin. epiſt.* III. ℣. 82. Verum de crebra hac permutatione conſ. Carrion. *in Val. Flacc.* l. 1. ℣. 231. & Jos. Mercer. *ad Ariſtaenet.* lib. 1. Epiſt. 3. Nos uberius talia exſequi non ſinit inſtituti ratio. Et vel haec ſic ſatis egimus. Revertamur ergo propere ad Sulpicium noſtrum; ne corrugata fronte Severus eſſe occipiat, ac triſti ſupercilio increpet moroſos.

Cap. XVIII. *Namque primum ſub rege Seleuco, Antiochi magni filio, Oniam ſacerdotem, virum ſanctum atque integrum, Simon quidam falſis apud regem criminibus inſimulatum, exquirere nequiverat.* Giſelinus pro *exquirere*, quod certiſſime corruptum, ſcribit *excutere.* Sigonius *exſtinguere.* Druſius ex lib. II. *Maccab.* 3. ℣. 5, ubi νικῆσαι, verius putabat *vincere.* Arcerius *anquirere.* Quid ſi *excipere?* Id Sane verbum fraudem indicat; & proprie venatorum eſt, qui occultum feris exitium moliuntur.

§. 3. *Et quamquam inſolitum, neque ante permiſſum cuiquam erat perpetuo ſacerdotio perfungi:*

gi: ſollicitus tamen regis animus, atque aeger avaritia, facile ſuperatus eſt. Ita depulſo Onia Jaſoni ſacerdotium eſt mandatum. Lectioni huic manifeſta repugnat rei veritas. Sigonius, referente Druſio, corrigendum judicabat, *non perpetuo ſacerdotio perſungi. tamen rex avaritia praevalente Oniam depulit, & Jaſoni pontificatum conceſſit.* At iſta quidem vis eſt. Alii aliter. Nemo, quantum mihi adparet, recte. Omnis tumultus facillime componetur, ſi *perpetuo ſacerdotio ſejungi* legas. Id quod & leviſſimum remedium, & verum unice. Fuit, cum crederem, per praecedentem literam *o* negationem forte neglectam; atque adeo ſcribi oportere, *perpetuo ſacerdotio non perſungi*; vel excidiſſe τὸ *tempus*; ut legeremus, *perp. ſac. per tempus ſungi.* λῆροι! λῆροι!

Cap. XIX. *Poſt eum* (regnavit) *Antiochus filius, annos unum de viginti.* Arcer. *undeviginti.* Falſo! ſupra Cap. 10. *qui unum de viginti annis rerum fuerat potitus.* l. *annos.*

Cap. XXI. *Ne gentilibus quidem pepercerat: quos deſerere inveteratas ſuperſtitiones, & ad unum ritum deducere tentaverat: Illis quidem, ubi nihil ſancti erat, facile relinquentibus: Sed tamen omnibus metu ac clade adfectis, vectigalia ceſſaverant.* Verba, *illis quidem, ubi nihil ſancti erat* &c. non ceperunt interpretes. Senſus eſt: Illis quidem, (gentilibus,) apud quos quippe nihil vere ſancti erat, inveteratas ſuas ſuperſtitiones facile relinquentibus, & Antiochi ſe cultui

tui addicentibus; metu tamen ac clade communiter graſſante, quibus miſere & illi adfecti erant, vectigalia ceſſaverant. Mirum, in re tam clara aberrare potuiſſe doctiſſimos homines.

Cap. XXII. *Ita ex moerore animi corporis morbo incubuit.* Arcer. *decubuit.* Ut arbitror, rectius.

Cap. XXIII. *Rex petit pacem: quia infido ingenio uſus, perfidiam conſecuta ultio.* Druſius, *qua inf.* Atque ita omnino legendum cenſet Arcerius. Vorſtius tentabat, *qua quia inf. ing. uſus.* Druſii vera emendatio, ſi ſic interpungas: *Rex petit pacem: qua infido ingenio uſus. Perfidiam conſecuta ultio.* Viden? ut ſpirent iſta purum Sulpicium.

§. 5. *In ea pugna victores Syri cruente admodum victoria ſunt uſi.* Arcerius mavult *cruenta.* Non refert.

CAPUT IV.

Iterum varia Severi loca correcta, aut illuſtrata. Conſtantini Chriſtianiſmus. exſtinctum funus. ſeminarium diſcordiae. Priſcillianiſtae. Sabina arbor. audientia propria Epiſcoporum. nunc de praeterito.

Necdum ſalubres manus a Sulpicio amovemus, dum reſtant aliqua.

Cap. XXIV. *Ob quod eum Jonathas auxiliis juverat: victoque Demetrio, primus omnium congratulatum occurrerat:* Arcer. *auxiliatum iverat.* quia ſequitur *congratulatum occurrerat.* Equidem non adſentior,

§. 4. *Eo praelio vincitur Ptolomaeus, cadit Alexander. Vincitur Ptolemaeus, & paullo poſt interficitur.* Scribe, *Eo praelio Ptolomaeus cadit: Alexander vincitur, & paullo poſt interficitur.* Verba *vincitur Ptolomaeus*, errore librarii, ut ſaepiſſime contigit, perperam repetita, turbas dederunt; quae nunc feliciter conſopitae.

Cap. XXV. *Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, praefectus Syriae regno, eum bello prohibiturus, contra Jonathan in praelium deſcendit, terribilis* XL *millium exercitu.* Senſus clarus & apertus: Tryphon, qui fuerat partium

tium Alexandri, praefectus Syriae, contra Jonathan deſcendit in praelium, prohibiturus eum bello; ne ſc. poſtea adverſariis ſuis opem ferre, aut inplicito ſibi turbis civilibus alio modo per bellum nocere poſſet. Quippe is Tryphon pro Alexandro, & ejus partibus ſteterat; at vero Jonathan, a Demetrio benigne habitus, cum eodem foedus fecerat. Multum autem tunc temporis Jonathan prodeſſe poterat Demetrio; eum ergo, ne ſuis obſiſteret conatibus, bello frangere decreverat Tryphon. Adeo haec lucida ſunt, ut incurrant in oculos. Commentatores tamen non intellexerunt, qui poſt *prohibuturus* majuſculam diſtinctionem, punctum vocant, poni jubent; ut ſubintelligatur *erat*, vel tale quid. Sed eo modo Severus nuſquam loquitur; & ſententia prorſus abrupta fuerit, atque abſona.

Cap. XXVII. fin. *Hoc regnante, anno regni octavo & decimo, Dominus crucifixus eſt, Fuſio Gemino & Rebellio Gemino conſulibus.* Arcer. *Fuſio & Rebellio Geminis conſul.*

Cap. XXVIII. *Qui, non dicam regum, ſed omnium hominum, & vel immanium beſtiarum ſordidiſſimus.* Arcer. *beſt. foediſſimus.* addit, *ſic Cicero alibi foediſſimum monſtrum dixit.* Sed qualis haec, & quanta mutatio!

§. 3. *Reliqua vero ejus incertum pigeat, an pudeat magis diſſerere.* Arcerius mallet *deſcribere*, violentus nimium criticus.

Cap. XXIX. *Incertum an ipſe ſibi mortem con-*

conſciverit. Certe corpus illius interemptum. Unde creditur, etiamſi ſe gladio transfixerit, curato vulnere ejus ſervatus. Videtur ex mente Sulpicii ſcribendum, *certe corpus ejus interceptum.*

Cap. xxx. *Tunc Vitellius in Gallias, fretus exercitibus, quibus praeerat, urbem ingreſſus.* Sigon. *ex Galliis.* Arcer. *e Galliis cenſeo legendum. nam vulgatum illud nihil ſignificat.* An forte? *Tunc Vit. in Galliis. Is fretus exerc.* cet.

§. 3. *Veſpaſianus Romam profectus, ſummo favore ſenatus & populi, cum ſe Vitellius interfeciſſet, imperium confirmavit.* Falſiſſimum eſt, Vitellium ſemet interfeciſſe, & negat omnis Hiſtoria. Exiſtimo ſcriptum fuiſſe, *cum ſc. Vitellium interfeciſſet.* i. e. *cum ſcilicet Vitellium interfeciſſet;* Senatus nimirum & Populus.

§. 8. *Atque haec ultima templi everſio, & poſtrema Judaeorum captivitas, qua extorres patria, per orbem diſperſi cernuntur, quotidie mundo teſtimonio ſunt* &c. l. *quotidieque m.* aut, *quotidie & m. t. ſ.*

Cap. xxxiii. *Namque tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum principum Chriſtianus.* Zeno l. 5. Cd. *de natur. lib. Divus Conſtantinus, qui veneranda Chriſtianorum fide Romanum munivit imperium.* De Chriſtianiſmo Conſtantini nota ſunt ſcripta Struvii, Thomaſii, & aliorum; quibus addi poteſt Leunclavii *Apologia pro Zoſimo.* conf. celeb. Jo. Alb. Fabricii *Salutaris Lux Euangelii.* Nos qui-

quidem vaſtiſſimum hunc differendi campum non ingrediemur. Neque etiam expedit. Interim vide l. 4. Cd. Theod. *de Maleſ. & Mathemat.* & quae ad eam conſultiſſ. Idſinga *Var. Jur. Civ.* Cap. 16. p. 139. 140. quem alio jam loco hanc in rem adduxiſſe memini.

Sequitur. *Sane tum Licinius, quia adverſum Conſtantinum de imperio certavit, milites ſuos litare praeceperat; abnuentes, militia rejiciebat.* l. *ſane & tum Licinius, qui adverſum Conſt.*

Cap. XXXIV. *Nec mora, quaſi Dei nutu funeris exſtincti ſollemnibus exſequiis deferebatur, concurſuque omnium feretro corpus eripitur.* Sigonius, & cum eo Vorſtius emendant, *funus exſtincti.* Forte ad ſtructuram verborum non adtenderunt eruditiſſimi viri. Ea vero eſt: *funeris exſtincti corpus ſollemnibus exſequiis deferebatur, concurſuque omnium feretro eripitur.* Ut aliis *mortuum cadaver;* ita Sulpicio *exſtinctum funus* dicitur. Poeta, neſcio quis, *exſtinctum funus amici.*

Cap. XLI. *Sed longe aliter ſenſerim: laudidique adtribuo epiſcopis, tam pauperes fuiſſe, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potius quam fiſco ſumerent, ubi neminem gravabant, ita in utriuſque egregium exemplum.* Arcerius, *ubi neminem gravabant victu*, aut *vita*. Conjeceram, *u. nem. gravabat tam utriuſque egregium exemplum.* Nunc magis illos probo, qui legunt, *gravabant. Ita in utriſque egr. ex.*

Cap. XLIV. *Noſter Faegadius.* Arcer. *Alii illum Foebadium vocant, ejusque contra Arrianos libellus ab Th. Beza editus eſt.* vid. Druſius ad h. loc.

§. 6. *In quis primum damnatur Arrius, totaque ejus perſidia: ceterum non etiam patri aequalis, & ſine initio, ſine tempore, Dei filius pronunciatur.* Arcerius, *cet. non etiam patri aequalis ſolum, ſed & ſine init.* Felicius Giſelin. *non et. p. aequalis, ſet* (pro *ſed*) *ſine initio*, vide eum.

Cap. XLV. *Poſtremo quaſi diſcordiae ſeminarium.* Arcer. *Sic Graeci* φυτευτηριον της διχονοιας.

Paullo poſt. *Dubius animi, & magna curarum mole aeſtuans.* Virgil. IV. *Aen.* 531.

——— *Ingeminant curae: rurſusque reſurgens*
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aeſtu.

Apulej. lib. X. *Metam.* p. 213. *magnis aerumnarum procellis aeſtuat,*

Cap. XLVII. *Igitur poſt multa inter eos, & digna memoratu certamina, apud Caeſar-auguſtam ſynodus congregatur.* l. *nec digna m. cert.* ut mox §. 6. *Igitur poſt multa & foeda.*

§. 3. *Maximeque Iginum* (recte al. *Hyginum*) *extra communionem faceret.* F. *jaceret.*

§. 4. *Interim Inſtantius & Salvianus, damna-*

nati judicio ſacerdotum, *Priſcillianum etiam laicum*, *ſed principem malorum omnium* &c. Lego, *Priſc. etiamnunc laicum.* De Pricilliano, & ſectatoribus ejus, inſpicienda amiciſſimi Simonis de Vries Diſſertatio Critica *de Priſcillianiſtis;* ubi accurate haec omnia & erudite perſequitur. Salvianus autem ille plane diverſus videtur ab eo, cujus hodie nobis ſcripta ſuperſunt. Id quod etiam Arcerius notavit; & res ipſa ſatis evincit.

Cap. XLVIII. *De qua fuit in ſermone hominum, Priſcilliani ſtupro gravidam, partum ſibi graminibus abegiſſe.* F. *carminibus abeg.* Supra Cap. 46. Priſcillianum magicas artes ab adoleſcentia exercuiſſe, vulgo creditum memorat, & Cap. 50. obſcoenis eundem ſtuduiſſe doctrinis. Arcerius per *gramina* Sabinam arborem intelligit. Illa nempe abortibus procurandis celebratur. vid. Jo. Matth. Geſneri, viri clariſſimi, *Lexicon Ruſticum.* & multos alios.

Cap. XLIX. fin. *Aliis epiſcopis audientiam reſervare.* Loquitur proprie. *Audientia* enim epiſcoporum eſt: & eo pertinet Tit. Cod. *de Epiſcopali audientia.*

Cap. L. *Ac mea quidem ſententia eſt, mihi tam reos quam accuſatores diſplicere.* Sigon. *mihi non tam reos, quam acc. d.* Atqui & reos ſibi diſplicuiſſe ſupra plus ſemel oſtendit, quando in Priſcillianum, ac ſequaces ejus graviter invehitur. Quin & Cap. 51. poſtquam ſupplicia eorum expoſuiſſet, addit, *hoc fere modo homines*

nes luce indigniſſimi, peſſimo exemplo necati, aut exſiliis multati. Quamvis leviſſima interpunctionis mutatione haec ita poſſent conſtitui: *Hoc fere modo homines, luce indigniſſimi* (Ithacii nempe, quem hoc Cap. 50. ſatis inprobum depingit) *peſſimo exemplo nec. aut exs.* Niſi cui placeat legere, *h. fere modo hominis luce indigniſſimi p. ex.* Verba ego, ut edita ſunt, retinenda cenſeo.

Cap. LI. *Itum deinde in reliquos ſequentibus judiciis.* An? *frequentibus jud.* ut Cap. 45. *frequentibus intra Gallias conciliis.*

§. 5. *Quod initio jure judiciorum & egregio publico defenſum, poſtea Ithacius in jurgiis ſolitus, ad poſtremum convictus, in eos retorquebat.* Arcer. *publice def.* peſſime. vid. Vorſtii notas. Idem, *in jurgiis aſſuetus, ac p. conv.* quod nimium recedit. Forte, *in jurgiis ſolitis ad poſtr. c.* aut, *in jurgiis ſopitus, ac poſtremum convictus.*

§. 9. *Et nunc, cum maxime diſcordiis epiſcoporum turbari aut miſceri omnia cernerentur.* Scribi poſſet *et tunc.* Sed v. Davies. *ad Caeſar.* l. VI. *B. Gall.* Cap. 40. Et haec ad Sulpicii *Hiſtoriam Sacram* hactenus.

CA-

CAPUT V.

Plura ad Sulpicii vitam Martini notantur. Sophiſtae ac Rhetores conjuncti. editio Clerici Sulpiciana. Epiſtolae ſeptem, a Baluzio & Dacherio editae, Sulpicii Severi non videntur. homines & omnes permixti. Optatus Milevitanus correctus, & Corippus. ne pro nequidem. etiam & enim confuſa. Ammianus Marcellinus ſanitati redditus. urguere. vocatio in jus. in edicto praetoris de in jus vocando parentum nomine non continentur ſocer vel ſocrus. convicia noſtra, injuria noſtra, & ſimilia, ſenſu paſſivo. aliaque.

Videamus nunc, ecquae in *vita Martini* & Severi noſtri *Dialogis*, poſt diligentiſſimam eruditisſimi viri Hieronymi de Prato operam, ſuperſint obſervatione non indigna.

Praefat. ad Deſiderium. *Ne (quod fore arbitror) ſermo incultior legentibus diſciplíceret, omniumque reprehenſione digniſſimus judicarer, qui materiam, diſertis merito ſcriptoribus reſervandam, impudens occupaſſem.* In uno Ms. Trajectino, *quod forte arbitror*. male. Pro *impudens*, lego *imprudens*.

§. 5. ex edit. Clerici. *Ego enim, cum primum animum ad ſcribendum appuli*, (ex Terent. *Prol. Andr.*) *quia neſas putarem* (f. *putaram*) *tanti viri latere virtutes, apud me ipſe decidi, ut ſoloecismis non erubeſcerem, quia nec magnam iſtarum umquam rerum ſcientiam contigiſſem: & , ſi quid ex his ſtudiis olim fortaſſe libaſſem, totum id deſitudine tanti temporis perdidiſſem.* In altero Trajectinorum codice vox *iſtarum* deficit; quam nec in Mſſ. quos ipſi luſtrare contigit, inveniri refert Barthius; atque ideo legebat, *quia nec magnam umquam Rhetorum ſcientiam c.* Forte ſcripſerat Sulpicius, *quia nec magnam Sophiſtarum umquam, aut* (vel *nec*) *Rhetorum ſcientiam contigiſſem.* Junguntur *Sophiſtae* & *Rhetores* l. 6. §. 1. D. *de excuſat. tut.* & alibl. Porro in duobus Traject habetur *diſſuetudine tanti temporis.* conf. doctiſſ. de Prato. Mſtum Quedlinburgenſe *diſſitudine*, notante cl. Tobia Eckhardo, qui variantes ex illo lectiones edidit *in Codicibus manuſcriptis Quedlinburgenſibus* p. 57. ſeqq. Perperam vero ibi memorat editionem Sulpicii cum notis Jo. Clerici, & laudatum ab eo Mſ. bibliothecae regiae Berolinenſis pag. 293. Neque enim Mſtum hoc laudatur Clerico, ſed Joanni Vorſtio, cujus animadverſiones textui ſubjecit celeb. Clericus; ipſe autem nihil addidit, niſi notas quasdam ad ſeptem epiſtolas, a Baluzio & Dacherio editas; quae quidem Sulpicii eſſe creduntur, mihi tamen diverſi ſemper auctoris ſunt viſae, cum ob ſtyli diſcrepantiam, tum cauſſas alias. Sed pergimus.

Cap.

Cap. I. *Qui quidem error humanus, literis traditus, in tantum valuit.* Uterque Trajectinus, *humanis lit.* Ut etiam in tribus aliis invenit Hieron. de Prato. Quod non inprobat vir doctus; ego autem unice verum exiſtimo.

§. 6. *Exemplo aliis mox futuram.* Uterque Traj. *profuturam.* vid. de Prato in h. loc.

Paullo poſt. *Quia etſi ipſi non viximus, ut aliis exemplo eſſe poſſimus.* In Utr. Traject. *ut exemplum aliis eſſe p.* Mſ. Quelinb. *ipſi non ita viximus, ut exemplo aliis e. p.* Unde legendum, *q. etſi ipſi non ita viximus, ut exemplum aliis eſſe poſſimus.* Ex Mſſ. & variis editt. etiam *ita* recepit H. de Prato.

§. 7. *Quamvis nequaquam ad omnia illius potuerim pervenire.* Haec ignorat uterque Traject.

Cap. III. *Quo viſo, vir beatus non in gloriam elatus eſt humanam.* Ut. Tr. *quo viſu vir beatiſſimus.* recte.

Poſt pauca. *Nec tamen ſtatim militiae renuntiavit.* Ut. Tr. *tamen* delet, & Quedlinb. Fortaſſe verius.

In fine. *Solo licet nomine, militavit.* Traject. uterque *ſcilicet.* non male.

Cap. IV. *Et quamvis pius Dominus ſervare militem ſuum, licet inter hoſtium gladios & tela, potuiſſet.* Scribe cum utroque Traject. *ſerv. mil-*

militem ſuum inter b. glad. & tela potuiſſet. Illud *licet* a gloſſa, credo, in textum irrepſit.

Cap. v. *Intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi.* Quedlinburg. *intellexit vir Dei alt. ing.* & uterque Traject. An pro *modo* legendum *nodo*? l. 10. Cd. *de adoption.* princ. *Maneat ſtabile jus patris adoptivi, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis nodo conſtrictum.* & §. 1. *non legitimo vinculo adſtrictum.* conf. §. 2. Inſtit. *eod.* qui ex cit. lege 10. Cod. conſtituendus. Valer. Max. lib. IV. Cap. I. ex. ext. 8. *Theopompus igitur legitimis regnum vinculis conſtringendo.*

§. 4. *Cumque unus ſecurim elevatam in caput ejus libraſſet, ictum ferientis dextera ſuſtinuit alter.* Duo Trajectini firmant lectionem, quam edidit Hier. de Prato; habent enim, *ſecuri elevata in caput ejus libraſſet ictum, ferientis dexteram ſuſtinuit alter.* Veriſſime.

Cap. VII. *Vixque duarum fere horarum ſpatium interceſſerat, vidit defunctum paullatim membris omnibus commoveri.* Traject. uterque *fere* non adgnoſcit. In altero etiam ſcribebatur, *cum vidit def.* Sed illud *cum* ſuperne adſcriptum erat. Videtur ad ſententiam perficiendam exigi.

In fine. *Ut qui ſanctus jam ab omnibus habebatur.* Ambo Trajectt. *hominibus.* uſitatiſſima confuſione. ut apud Optat. *de Schism. Donat.* lib. II. C. 24. *Extendiſtis enim manum, & ſuper omnia ca-*

caput mortifera velamina praetendiſtis: ut cum ſint (ſicut ſupra dixi) quatuor genera capitum in eccleſia, epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, & fidelium: nec uni parcere voluiſtis: evertiſtis animas hominum. Cum docto viro ſcribe *animas omnium.* & porro ex noſtra emendatione ſic lege: *& cum ſint (ſicut ſupra dixi) quatuor genera capitum in eccleſia, ep. pr. d. & fidelium, nec uni parcere voluiſtis; ſed evertiſtis a. o.* Coripp. lib. IV. ℣. 304:

Conſimilis Deitate patris, omnique profecto

Conſimilis. l. *hominique pr.* quod jam alibi notavi. Supra ſimiliter *verum hominem* Chriſtum dixerat; neque deſtitiſſe tamen *verum Deum* eſſe, ℣. 300. dummodo & ille locus recte legatur. Editur hodiedum:

Sponte ſua venit, factorque & conditor orbis
Factus homo eſt, verusque Deus non deſtitit eſſe.

l. *Sponte ſua verus factorque & conditor orbis Factus homo eſt.* Etenim *verum hominem* opponit *vero Deo.* Quam autem τo *venit* hic miſerum languet! Ceterum, quae priori loco ex Corippo adſcripſi verba, imitatus fuit Guntherus lib. v. *Ligur.* ℣. 154:

Inſtabat veneranda dies, qua Chriſtus in una
Aequalis Deitate patri, ſine temporis ortu
Natus ab aeterno, ſub tempore, temporis auctor
Coelitus infuſa voluit de virgine naſci.

Vide quae apud eum ſequuntur, quaeque praeceſſerunt in Corippo. adparebit clare. confer, ſi lubet, Venant. Fortunat. *de partu virg.* ℣. 37. 38. ſeqq.

Cap. XIV. *Tum ſubito ei angeli haſtati atque ſcutati inſtar militiae coeleſtis ſe obtulerunt.* Scribo, *inſtar m. terreſtris.*

Cap. XVIII. *Tunc confeſſus eſt, ſedecim daemones fuiſſe, qui rumorem hunc per populum diſſeminaſſent.* l. *ſe & decem d. f.*

§. 4. *Sed nec hoc praetereundum eſt.* Unus Traj. *ne hoc.* In altero *nec*, a correctoris manu. Legitimum credo *ne hoc.* vid. *Spec. Crit.* p. 52.

Cap. XX. *Vir quo nihil unquam juſtius fuit.* Ovid. I. *Metam. Non illo melior quiſquam, nec amantior aequi vir fuit.* Gratius *Cyneg.* 103. *Haud illo quiſquam ſe juſtior egit.*

Cap. XXII. *Nam interdum in Jouis perſonam, plerumque Mercurii, parſaepe etiam ſe Veneris ac Minervae transfiguratum vultibus offerebat.* Perperam duo Traject. *perſaepe enim.* permutatione ſaepius obvia. Sic corrigo Ammian. Marcellin. l. XIV. C. 5. *Accedebant enim ejus aſperitati, ubi imminuta vel laeſa amplitudo imperii dicebatur, & iracundae ſuſpicionum quantitati, proximorum cruentae blanditiae.* l. *accedebant etiam ejus aſp.*

Cap. XXIII. *Juvenis quidam ad eum Anato-*

tolius nomine, ſub profeſſione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus, acceſſit. In Utr. Traject. verba *ad eum* deficiunt; quae ſine ullo ſententiae incommodo abeſſe poſſunt; fortaſſis & debent. Ms. Quedlinb. *humilitate atque innocentia mentis.* inepte.

Cap. xxv. *Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras, & ſeculi onera relinquenda, ut dominum Jeſu liberi expeditique ſequeremur.* Cyprianus lib. *de laps. Nec vinci a ſeculo poſſet, qui, unde vinceretur in ſeculo, non haberet, ſequeretur Dominum ſolutus & liber.*

Epiſt. I. ad Euſebium §. II. *Laſſitudine itineris urgente.* Alter Traject. hic & alias ſcribere ſolet *urguente.* quae ſanior orthographia. vid. Ruiz. & Rittershus. *ad Corippi Panegyr. in laud. Juſtini* ✠. 33. Cl. Oudendorp. *in Lucan.* lib. I. ✠. 147. Arntzen. *ad Catonis diſticha* p. 95.

Epiſt. II. ad Aurel. Diaconum. §. 2. *Qui ut ſemper horis matutinis levior incertusque.* Unus Traject. *ſuper horis m.* quod non ſpernendum.

Ep. III. ad Baſſulam ſocrum. *Si parentes vocari in jus liceret, te plane expilationis furtique ream ad praetoris tribunal juſto loro traheremus.* Doct. de Prato ex ſuis dat *juſto dolore tr.* Ambo Traject. *lore.* quomodo & in duobus ſe inveniſſe notat reverendus Presbyter; quamvis in altero deinde inmutatum addat eadem manu. Hinc legendum puto, *ad praetoris tribunal ju-*

juſto colore traheremus. Quod ad vocationem in jus adtinet, novimus ſane ex Jure Civili, nemini licuiſſe, abſque inpetrata prius venia, parentes in jus vocare, & poenam 50 aureorum fuiſſe conſtitutam, ſi quis eos ſine permiſſu praetoris vocare ſuſtinuiſſet; ſed vero non aeque certum, ſocerum quoque vel ſocrum hac *parentum* adpellatione contineri, neque adeo eos ſine venia vocari potuiſſe. quae enim vulgo hanc in rem citari ſolet l. 15. §. 2. & l. 16. D. *ſoluto matrim.* nihil huc pertinere jam olim obſervarunt conſulti viri. Agitur ibi de beneficio competentiae; a quo ad vocationem in jus argumentari velle, ineptire eſt. Dudum quoque ad l. 13. D. *de in jus voc.* alia opinati reſponſum tulerunt. Neque poenales leges extendendas eſſe monet omnis juris aequitas. conf. l. 4. §. 2. l. 6. 8. princ. *eod.* & Merill. *Obſervat.* lib. VII. C. 12. Sulpicius vero de more ſui temporis videtur locutus, magisque ex decoro, quam jure. Quare & *parentis* vocabulo ſalutat ſocrum Basſulam, reverentiam tanto nomini debitam innuens.

§. 10. *Invadent gregem tuum lupi rapaces: & quis eos a morſibus noſtris, percuſſo paſtore, prohibebit.* Ex uno Codice *quis nos a morſibus eorum* repoſuit poſtremus editor. Uterque Traject. *mortibus noſtris.* quod praefero. l. 23. D. *de Reg. Jur. Animalium vero caſus, mortes, quaeque ſine culpa accidunt.* Ut autem hic *mortes noſtrae* ſunt, quae nobis inferuntur; ita Optato *convicia noſtra* dicuntur, pro iis, quae in nos jacta ſunt, lib. IV. C. 5. *Nullus veſtrum eſt, qui non convici-*

cia noſtra ſuis tractatibus miſceat. Sic *injuria noſtra*, quam ab alio patimur, vid. Arntzen. *ad Plin. Paneg.* Cap. 36. l. 206. D. *de Reg. Jur.* Et multa talia.

§. 17. *Vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera ne tenuis quidem macula fuſcaret. In aliis etiam, & in illo tantum artubus non pudendis, ſeptennis quodammodo pueri gratia videbatur.* Depravata haec ſunt, & a nemine expedita. Tentabam, *Id aliis* (aut *id in aliis*) *etiam. Sed in illo tantum artubus non pudendis ſept. q.* Quod de clariori vultu, & omnis maculae toto corpore abſentia relatum erat, id Martinus cum aliis etiam ſanctis commune habebat. Sed id peculiare, & tantum Martini erat, quod in membris defuncti ſeptennis pueri gratia artubus non pudendis videretur. Aut igitur *artus* illi *non pudendi* dicuntur, quod ſeptennis pueri eſſent; in qua aetate ſimplici cauſſa pudoris vera non obtinet; aut quod reapſe in ſeptennis ejus pueri gratia, quae in Martini membris videbatur, τα αιδοια prorſus deficerent, indicium ſcilicet caſtimoniae ſancti viri, & perpetuum ab eo cuſtoditae virginitatis. Sic autem ſolet noſter Martinum prae omnibus aliis extollere. ut *Dialogi* 1. Cap. 24. *Nam cum excelſa retuleris* (*quod mihi dixiſſe liceat pace ſanctorum*) *nihil a te penitus audivi, in quo Martinus eſſet inferior. Sed ſicut nullius umquam cum illius viri meritis profiteor conferendam eſſe virtutem, ita & illud animadverti decet. cet.* Oedipus equidem ego non ſum; forte tamen hic verum tetigi. Videant eruditiores.

CAPUT VI.

Poſt Severi dialogos, multa obſervantur ad carmina nonnulla ex baſilica Martini, quae Eckhardus & de Prato ediderunt. ſaevus & ſcaevus centies commutantur. Tacitus & Sedulius emendati. item Althelmus. uſus quotidianam neceſſitatem indicat. Petri Apollonii locus forte vindicatus. &c.

Tranſimus ad Sulpicii Dialogos; quibus operam noſtram praecedenti jam capite obtulimus.

Dial. I. Cap. I. *Eadem nocte adſtare in ſomnis mihi viſus es.* Virgil. II. *Aen.* 50:

——— *Viſi ante oculos adſtare jacentis*

In ſomnis. Uterque Traject. *in ſomnis adſtare viſus es.* qui & Dialogum hunc *Librum Secundum* inſcribunt; ut ſequentem *Librum Tertium*, ac porro.

Cap. II. *Qualiter in oriente fides Chriſti floreat, quae ſit ſanctorum quies, quae inſtituta monachorum.* Lege, *quae ſit ibi ſanctorum fides.* Aut, quod magis probem, *quae ſint ibi ſanctorum vires.* Illud *ibi* ex Codicibus jam ſuppletum fuit Hieronymo de Prato.

Cap. VII. *Scaevo exemplo ad regendam ecclesiae diſciplinam praefectus adſumitur.* In multis libris habetur *ſaevo ex.* atque ita etiam unus Traject. Centies iſta permiſcentur. vid. *Spec. Crit.* p. 49. Tacit. lib. I. *Annal.* 35. *Saevum id malique moris, etiam furentibus viſum.* Scribe *ſcaevum id.* Althelm. *de laude virg.*

Proſtibulum moechae penetrans ſine crimine ſaevae.

l. *ſcaevae.* quod & monuiſſe uideo nobiliſſ. Röverum *Specim. Inaugur.* Cap. II. Sedul. l. I. *Paſchal.* ℣. 3. 4:

Ridiculove Geta, ſeu qualibet arte canendi
Saeva nefandarum renovent contagia rerum.

l. *ſcaeva.*

Paullo poſt. *Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus, vir maxime catbolicus, & ſacrae legis peritiſſimus, Origenem ſecutus primo tempore putabatur, quem nunc idem praecipue, vel omnia illius ſcripta damnaret.* Forte legendum, *quum nunc idem praecipue vel omnia i.*

Cap. IX. *Quod niſi mibi fuiſſet fixum animo.* Virgil. lib. IV. *Aen.* 15:

Si mibi non animo fixum inmotumque ſederet.

§. 7. *Ibi enim vaſtae patentis eremi ſolitudines plurimum ferebantur babere monacborum.* In utroque Traj. *patentes* legitur. In altero etiam

F 2 va-

vaſte. Quae genuina Sulpicii manus.

Cap. XI. *Conſpiciunt palmiciam ſportam calido pane congeſtam foribus affixam de poſte pendere.* Verba *calido pane congeſtam* in Utr. Tr. & Quedlinburg. deſiderantur. rectius. vid. doctiſſ. de Prato.

Cap. XV. *Quas nox coegerit, ſedes habent.* Scribe cum altero Traject. *Qua nox c.*

§. 7. *Mira dicturus ſum.* Iſcanus, ſed ex alio, qui non ſuccurrit, lib. I. *Belli Troj.* ℣. 24:

Mira quidem dictu, ſed vera, advertite, pandam.

Statim. *Leaenam poſt dies quinque ad auctorem tanti beneficii reverti ſſe, eidemque inuſitatae ferae pellem pro munere detuliſſe.* Joannes Meurſius in *Critico Arnob.* lib. I. C. I. legit, *inviſitatae ferae p.*

Cap. XVIII. *Superata natura eſt, fugit incendium: & qui putabatur arſurus, velut frigido rore perfuſus ſe ipſe miratus eſt.* Althelm. *de laude virg.* ℣. 2309:

————— crepitantes fomite flammas
Protinus exſtinxit coeleſti rore poteſtas.

Sedul. I. *Paſchal.* 219: *flagrante camino ſervavit ſub rore pios.*

Cap. XX. *Sed repelli penitus vel tacita conſcien-*

ſcientia vanitas, perſeverante virtute, non potuit. Optime de Prato ex Mſſ. reſtituit *conſc. vanitatis.* praeeunte jam Davieſio *ad Minuc. Felic.* p. 144.

Cap. XXI. *Aut fatuis atque adulantibus verbis femina una laudaverit.* Uterque Traj. *femina vana.* quod damnare non auſim.

Cap. XXV. *Parva quidem, ſed non praetereunda dicturus ſum.* Ex Ovidio, &, quod mireris, *Arte amandi.* ubi,

Parva quidem, ſed non praetereunda tamen.

Dial. II. Cap. I. fin. *Sed quando in ſanctis viris latent iſta? quaerentibus velint nolint cuncta produntur.* Legendum videtur, *quae gentibus vel. n.* Nullus enim video; qui ſe *quaerentibus* hoc loco tueri poſſit. Adeo jejunum eſt, & frigidum plane. Certe aliter ſolet Sulpicius, conſideratae admodum eloquentiae auctor; ut merito nuncupatur Barthio *ad Stat.* VI. *Theb.* ỳ. 403. Olim volebam *de merentibus.* Duo Trajectini *querentibus.* unde quis mallet, *querentibus iis velint n.* Sua cuique lubido; mihi magis arridet prius. Iidem Traject. *producuntur.* quod ab interprete.

Cap. III. *Nos illico conſecuti, foede cruentum, atque univerſa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram* (ut. Traj. *terra*) *procubuiſſet, invenimus.* Scribi oportet, niſi me animus fallit, *univerſa corporis laniatum.* Uſitatiſſimus

Graecismus turbavit librarium; quare is conſulturus Sulpicio *το parte* addidit. *Talibus auxiliis.* noſti reliqua. Huc faciunt illa Virgilii lib. VI. *Aen.*

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora.

Cap. v. *Cilicio obvolvitur, cinere conſpergitur, cibo potuque abſtinet, orationes diebus noctibusque perpetuat.* Ambo Trajectini *orationibus.* Nolim rejicere. Hier. de Prato *orationem* edidit.

Cap. x. *Beata ſpecies, & Deo digna! nibil enim virginitati eſt comparandum.* Althelm. *de laude virg.* ℣. 184:

Sic quoque virginitas quae ſanctos indita comit
Omnia tranſſcendens meritorum praemia ſupplex.
Integritas quoque virtutum regina vocatur.

l. *quae ſanctos inclyta comit.* tum, *meritorum praemia ſupplet.* Prius jam ex Mſto Oxonienſi reſtituiſſe Gronovium *Obſerv in Script. Eccles.* p. 159. poſtea demum animadverti.

Dial. III. Cap. 4. *Qui ſibi hoc ab ipſo Avitiano relatum eſſe jurabat.* Trajectini *revelatum.* minus recte.

Cap. XII. *Interea epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat.* Melius Traject. *in quorum c. Martinus non ibat.*

Cap.

Cap. XIII. *Dummodo ut et tribuni jam in excidium eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraberentur.* Trajectini Codices *ut et* non adgnoscunt. Rectius opinor.

Cap. XIV. *Nos, inquit, eccleſia & paſcat & veſtiat, dummodo nihil noſtris uſibus quaeſiſſe videamur.* Et hic verius Traject. *nihil niſi us.* Quotidiana neceſſitate *uſus* circumſcribitur. vid. quae notant Juriſconſulti *ad Tit. Inſtit. de uſu & habitat.* Tantum ad Sulpicium.

In editione doctiſſ. de Prato p. 387. ſeqq. appendix habetur quorumdam carminum, quae in baſilica olim Martini conſpiciebantur; ſed luce jam ante donata a cl. Eckhardo *Codic. Mſſ. Quedlinb.* p. 71. Ibi num. II. legimus:

Hic inbabitavit, ſcutum cui ſancta fides eſt,
Umbo crucis, verbo ſplendidus atque micans.

Manifeſte haec depravata ſunt. De Prato conjicit *umbo crux.* Codex Quedlinburgenſis apud Eckhardum p. 72:

Hic inbabitavit, ſcutum cui ſancta fides &
Umbo crucis verbum ſplendidus atque micans.

Optime. modo ſic interpungas: *ſcutum cui ſancta fides, & umbo crucis verbum, ſplendidus atque micans.*

Num. III.

Suppliciter petimus: dones tribuasque benignus,

Ut

Ut noſmet ſanctus ac ſimul ille juvet.

Lege, *Ut noſmet ſanctus fac ſimul ille juvet.* Mſ. Quenlinb. *donec*, et *ſancti.* utrumque male. niſi forte ſcribendum,

Tu noſmet ſanctifac, ſimul ille juvet.

Plus ſemel in his verſiculis metri ratio negligitur.

Num. IV.

Vidimus, abſentem cum fuit eſſe virum.

Ita Apollon. Collat. *de duello Dav. & Gol.* ℣. 37:

Germanis alimenta ſuis in caſtra ferentem
Adventaſſe fuit *Davidem.*

Ubi tamen Heumannus, vir merito ſuo celeberrimus, reſcribit, *adventaſſe ferunt D.* vid. *To.* II. *Poec.* pag. 35.

Num. V.

Ingrediens templum fert ad ſublimia vultum:
Excelſus aditus, ſuſcipit alta fides.

Mſ. Quedlinb. *refer ad ſ. v.* quo nihil melius. Eckhardus etiam, in ſubjecta notula, *excelſos* corrigit. Malim, *eſt celſus aditus; ſuſc. a. f.*

Ibid. ℣. 7. 8:

Celſior illa tamen quae coeli vexit ad arcem
Martinum, aſtrigens ambitioſa uris.

De

De Prato, *Aſt*, vel *atque ingens ambitioſa viris.* Mſ. Quedl. *ad Ligeris ambitioſa viis.* l. *aſtrigegenis ambitioſa viris.* Sequitur:

Unde vocat populos, qui praevius ad bona Chriſti
Sidereum ingreſſus ſanctificavit iter.

Scribe, *qui praevius adbena Chriſti.* i. e. *advena.*

Num. VI.

Quae petis impetras, ſi puro pectore poscas:
Fide, ut ipſe ait, ſic tua ſalvus erit.

Forte, *fide & tu, ipſe dabit, ſic tu ſalvus erit.* aut, *in fide &, ipſe dabit, ſ.* Similis caeſura num. 7:

Quisque venit ſummo vota offerre Deo.

& num. I:

Sanctorum dominum, Martinique Deum.

Atque ita ſaepius Poetae poſteriorum temporum. Aliter erudit. de Prato. quem adi.

Num. VII. ℣. 3. 4.

Quamvis corde tremens, ſupplex genu cernuus oret;
Si ceſſet opere, nempe fides vacua eſt.

Mſ. Quedl. *Supplex genu cernuus ore ſic eſſent ope-*

opere. Hinc proclivis emendatio,

Quamvis corde tremens, ſupplex genu, cernuus ore;
Si ceſſent operae, nempe fides vacua eſt.

℣. 9.

Qui tribuit quaecumque opus eſt, is plurima confert.

l. *qui tribuit quaecumque poteſt.* Sequitur enim,

Parva licet dederit, maxima quaeque capit,

Ut legendum de Prato monuit; conſentiente etiam Mſ. Quedlinburgenſi.

Num. x.

Texerat hic primum plebejo machina cultu.

Mſ. Quedlinb. *pie* BEIO. In quo haerebat cl. Eckhardus, expeditus jam a docto viro *in Actis eruditor.* anni 1724. pag. 279. ubi vide.

Num. xi.

Euſebii tibi ſancta fides, ſi Chriſto dedita mens eſt.

De Prato, *Si tibi ſancta f.* Cod. Quedlinb. *Euſebii ſit ibi ſ. f.* Lego, *& ſi ſancta fides, ſi Chr. d. m. e.*

Ibid. ℣. ult.

Praemia, virtutes, aevum, praeconia, laudes.

Quan-

Quantum ſcio, *praeconia* & *laudes* non differunt. l. *aevum, praeconia, pauſam.* Paullo ante, *praeconia, bella, triumphos.* ſ. *praecocia bella, tr.* ne bis dicatur idem. Althelm. de Martino, *Chriſto devotus cum jam catechumenus eſſet.* In Quedlinb. *laudes* deeſt.

CAPUT VII.

Quaedam de Minucio Felice praelibantur. Moshemii laus. Minucius ſaepe tentatus, aut reſtitutus. Iſcanus bis, Guntherus ſemel corrigitur. in Cicerone firmata Bynkershoekii emendatio. index, judex, indicium, judicium, ſaepiſſime miſcentur. Martiani Capellae unus & alter locus veram lectionem recipit. item Horatii forte, & Sedulii. igitur & jugiter confuſa. & alia nonnulla.

Egregie, ſi quis alius, religionem Chriſtianam contra ſuperſtitionem paganorum adſeruit Minucius Felix, in exiguo quidem illo, ſed eximiae utilitatis libello, quem *Octavium* inſcripſit. Quam pura ibi & germana dictio! Nihil affectatum; quaeſitum nihil. Stylus ſine ambitione luxurians. Argumentorum pondus grave; & ad rem praeſentem. Ac quod maxime valet diſputandi genus, eſtque ad convincendum

longe accommodatiſſimum; ſuis paſſim telis adgreditur gentiles, errorum debellator feliciſſimus. Tum pauca odio aut invidiae dat; veritati contra plurimum. Id vero lectores vehementer allicit, & ſuſpicionibus liberat. Suo hoc exemplo docuit Jo. Laur. Moshemius, *in Vindiciis antiquae Chriſtianorum diſciplinae.* Ille tanto acrius adverſarium premit, quanto minus iracundiae indulget. Candor ubique regnat, & pietas. Omnis procul exſulat acerbitas. Doctrina autem viri ſingularis. Merito igitur cl. Reimmannus iſtum Moshemii librum aliis imitandum monuit, qui ſimile quid poſtea auſuri eſſent. Optime Prosper Aquitanicus!

Legem ſpernentes odit cum legis amator,
Non homines odit, ſed reprobat, quod agunt.

Sed ad Minucium. Talem ergo tantumque auctorem certatim cura ſua dignati ſunt homines eruditiſſimi, & plurimos in eo naevos dexterrime ſuſtulerunt. Sic tamen, ut nondum perſanatus ſit. Nos iis, quae alio jam loco ad eum notavimus, ſequentia addemus.

Cap. v. *Ita in fontem refluunt, & in ſemet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore.* Lego, *nec indice.* & ita quoque corrigo Joſeph. Iscan. lib. IV. *B. Troj.* ỳ. 106:

——— *Ipſe actu mentitos judice crines*
Arguit, acceptus noto, gratusque merenti.

I. *actu*

l. *actu m. indice cr.* Addo, dum in hoc ſum, ỷ. 168:

Sola pares variis praeſumunt nomina formas
Diſtinxiſſe notis, ac victor vindice vultu
Eludit dubios error.

Scribendum reor, *at victos indice vultu eludit dubius error.* Paſſim Iſcanus ſyllabam *us* producere amat; *dubius* autem proprium erroris epitheton. Verum non ſunt illa hujus loci. Gunther. lib. 1. *Ligur.* ỷ. 518. *judiciumque viri.* l. *indiciumque.* de qua permutatione plura vide apud clariſſ. Arntzen. *ad Plin. Paneg.* Cap. 5. & ampliſſ. Bynkershoek. lib. 1. *Obſerv. Jur. Rom.* Cap. 6. ubi & eodem modo emendat Ciceronem *Orat.* IV. *in Catilin.* Cap. 5: *Haec omnia*, inquit, *indices detulerunt*; *rei confeſſi ſunt*; *vos multis jam judiciis judicaſtis.* Legit ill. Praeſes *indiciis.* Atque ita inveni in Jo. Badii Aſcenſii editione Saluſtiana, cui, praeter alia, etiam Ciceronis in Catilinam orationes inſeruntur.

Cap. VII. *Nec tamen temere, auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare.* l. *id ipſe c.*

Ibid. *Teſtis eſt Curtius, qui equitis ſui vel mole vel bonore biatum profundae voraginis coaequavit.* An? *vel onere, vel bonore.*

Cap. VIII. *Cum Abderitem Protagoram, Athenienſes viri, conſulte potius, quam profane de divinitate diſputantem, & expulerint ſuis finibus,*

bus, *&* *in concione ejus ſcripta deuſſerint.* Antecedentia Minucii flagitare videntur, ut legamus, *non conſulte potius*, *q. pr.* Saepius ita per ſequentem ſyllabam *con* τὸ *non* excidit; ut l. 4. D. *de legib.* *Ex his, quae forte uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura conſtituuntur.* l. *jura non conſtituuntur.* quod jam in pluribus editionibus. Martian. Cap. lib. 1. *de nupt. Philol.* p. 2. *ut obſita luctu perpetuo nunquam eum contenta ſit invenire.* ſ. *nunquam eum non contenta ſit i.* Sueton. *Tiber.* Cap. 7. *ex occurſu viſam contentis oculis proſecutus eſt.* quamvis nec male ſcribi poſſit, *nunquam eum non tenta ſit inv.* vid. *Spec. Crit.* p. 78. Si quis tamen tranſpoſitione potius Minucio mederi vellet, non refragarer multum, hoc modo: *profane potius, quam conſulte de divinitate diſputantem.*

Pergit. *Quid? homines (ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptae actionis liberius exerentem) homines inquam deploratae, inlicitae, ac deſperatae factionis graſſari in deos non ingemiſcendum eſt?* l. *deploratae inſcitiae, ac deſp. f.* aut, *deploratae malitiae, ac d.*

In fine. *Ita illis pavorem fallax ſpes ſolatia rediviva blanditur.* Explicavi in *Spec. Crit.* ſpem quae pavorem fallit; ut *fallax* hic participialiter ſumatur; quo modo apud Ovidium *verba parca fortunae*, i. e. parcentia. vide ibi p. 137. Forte & ita capiendus Horat. lib. 1. *Carm.* 5. ỷ. 9. *Qui nunc te fruitur credulus auream.* vulgo, *cr. aurea.* Interim nunc in Felice magis pla-

placet amici lectio, *pavorum fallax ſpes. ſ.* quia ſenſus planior.

Cap. IX. *Eruenda prorſus haec, & execranda conſenſio.* f. *cruenta prorſus.*

Ibid. *Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas, maxima & varia & bonore praeſanda ſagax fama loqueretur.* l. *maxime neſaria & b. pr.*

Cap. XI. *Quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & aetatibus in terram reſolvatur: nec interſit, utrum ferae diripiant, an maria conſumant.* Lego, ſic poſtulante ſententia, *vel interſit.* aut, quod idem, *et interſit.*

Sub fin. *In dulcedine carminis luſa.* l. *dulcedinem.*

Cap. XII. *Ecce pars veſtrum & major, melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame, laboratis.* Jo. Wowerius, *ope, re, fame l.* Forte *ope, re, fama lab.* Aliter tentabam *Spec.Crit.* p. 139.

Cap. XVI. *Nam interim Deos credere, interim ſe deliberare variavit, ut propoſitionis incerto certior reſponſionis noſtrae intentio fundaretur.* l. *ut propoſitionis incerto non certior r.* Litera *o*, quae praecedebat, fecit, ut *non* neglectum fuerit.

Cap. XVIII. *Audio vulgus, cum ad coelum manus tendunt.* l. *audi v.*

Cap. XIX. *Audio Poetas.* Et hic *audi* lege.

Ibid.

Ibid. *Eadem fere Chryſippus, vim divinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem neceſſitatem Deum credit.* l. *eadem fere Chryſippus. Vim enim div.*

Cap. xx. *Non nos debet antiquitas imperitorum fabellis ſuis delectata, vel capta, ad errorem mutui rapere conſenſus.* f. *velut captos ad err.*

Non multo deinceps. *Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves, & feras homines, & de hominibus arbores atque flores?* f. *de hominibus aves & feras nominem, & arbores a. f.* Poſtremum *de hominibus* ex priori perperam repetitum fuit. quod paſſim evenit.

Paucis interpoſitis. *Similiter, ac vero erga Deos quoque, majores noſtri impii.* f. *ſimili reatu, verum erga D.*

Cap. xxii. *Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Jovis ſtuprum coelo conſecratum.* l. *& vi Ganymedem, Jovis ſtuprum, coelo conſecratum.* Virgil. 1. *Aen. rapti Ganymedis honores.*

Ibid. *Saturnum enim, principem hujus generis & examinis, omnes ſcriptores vetuſtatis, Graeci Romanique, hominem prodiderunt.* l. *ſcriptores vetuſtae aetatis.*

Cap. xxiii. *Et Deus aereus, vel argenteus, de immundo vaſculo, ut ſaepius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, & incudibus*

figu-

figuratur. l. *ut accepimus factum Aeg. r.* Ceterum his, & quae ſequuntur, pene habet gemina Juſtinus Martyr *Apolog.* 1. p. 13. 14.

Cap. XXIV. *Scuta vetera circumferunt, pelles caedunt.* conf. ill. Cuper. IV. *Obſerv.* Cap. 7.

Sub fin. *Quis non intelligat male ſanos, & vanae & perditae mentis in iſta deſipere.* f. *injuſte des.*

Cap. XXV. *Quid irreligioſius, quid audacius, quid ipſa ſceleris confidentia tutius.* l. *ſc. confidentia aſtutius.*

Sequitur. *Jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis & altaribus, captos cogere, damnis alienis & ſuis ſceleribus adoleſcere, cum Romulo regibus ceteris, & poſtremis ducibus commune eſt.* l. *& poſt reges ducibus c. e.*

Ibid. *Tot de Diis ſpolia, quot de gentibus & tropaea.* f. *quot de gentibus exteris tropaea.*

Paullo poſt. *Neque enim potuerunt in ipſis bellis deos adjutores habere, adverſus quos arma rapuerunt, & quod poſtulaverant detriumphatos colere coeperunt.* f. *& quos poſtquam fugaverant detr.*

Cap. XXVI. *Ad ſolatium calamitatis ſuae non deſinunt perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati a Deo, inductis pravis religionibus a Deo ſegregare.* f. *& alienati a Deo inductos pravis religionibus ab eo ſegr.*

In fine. *Ex qua monet etiam nos procupidinem amoris.* f. *promere cupidinem am.*

Cap. XXVII. *Sub ſtatuis & imaginibus conſecrati deliteſcunt.* l. *im. conſecratis d.*

Ibid. *irrepentes etiam corporibus occulte, ut ſpiritus tenues, morbos fingunt.* l. *ut ſunt ſpiritus t.*

Mox. *Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipſi ſine templo, ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur.* l. *His ſunt & furentes, quos in p. v. excurrere, vates & ipſi ſine exemplo.*

Cap. XXVIII. *Nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis ceteris, & avibus, & piſcibus.* l. *crocodilis, & feris, & av.* Ad *crocodilis* gloſſator adſcripſerat *belluis*, atque ita in textum irrepſit, expungendum ocius.

Cap. XXIX. *Signum ſane crucis naturaliter viſimus in navi, cum velis tumentibus vebitur, cum expanſis palmulis labitur, & cum erigitur jugum, crucis ſignum eſt, & cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur.* Illa *crucis ſignum eſt* ſunt interpretis; neque huc pertinent.

Cap. XXX. *Tauris etiam Ponticis, & Ægyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare: & Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas caedere. Romani Graccum & Graecam, Gallum & Gallam, ſacrificiis obruere.* Scribo, *hoſpites immolare, & Mercurio Gallis h. vel i. v. caede-*

dere: Romanis Graecum & Graecam, G. & Gallam in ſacrificiis o.

Cap. XXXI. *Haec enim potius de veſtris gentibus nata ſunt.* An? *ſentibus.* Sedul. III. *Paſchal.* 249:

> *De cane fecit ovem, gentisque in ſentibus ortam*
> *Compulit Hebraei de gramine veſcier agni.*

Ibid. *Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis.* f. *fibulam nectitis.*

Cap. XXXII. *Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui juſtitiam, Deo libat.* l. *jugiter qui i. c.* Frequens confuſio, & perquam facilis. vid. cl. Laur. Theod. Gronov. *Emendat. Pandect.* Cap. 9. Althelm. *de l. virg.* ℣. 1658:

> *Sed paucis igitur perpes concordia regnat.*

Rectiſſime Hanckius, & J. F. Gronovius ex Mſto, *ſed pacis jugiter.* Sedul. lib. I. ℣. 142:

> *His igitur jam ſacra tribus dans munera rebus.*

l. *bis jugiter.* Sic ſolet primam in *jugis* corripere. v. Cellar. ad l. I. ℣. 18. Martian. Cap. l. v. p. 185. *Ab adverſariis autem, quae infertur & repellenda eſt igitur, dicitur* εναντια. l. *ab a. a. quae infertur, & repellenda eſt jugiter, d.* εν. Similiter, ſed alio loco, Capellam correxi *Spec. Crit.* p. 83.

Ibid. *Pariter praeſens ubique intereſt, & miſcetur omnibus: nuſquam enim claritudo violatur.* ſ. *nuſquam ejus cl. v.*

Cap. XXXV. *Et tamen admonentur homines doctiſſimorum libris, & carminibus Poetarum, illius ignei fluminis, & de Stygia palude ſaepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata, & Daemonum indiciis, & de oraculis prophetarum cognita tradiderunt.* l. *illius ignei fluminis, atque Stygiam paludem ſaepius ambientis erroris.* aut, *decies a. e.* ut numero rotundo uſus fuerit. Virgil. *novies Styx interfuſa coercet.* lib. VI. *Aeneid.*

Cap. XXXVII. *Absque enim notitia Dei, quae poteſt eſſe ſolida felicitas? cum mors ſit: ſomnio ſimilis: antequam tenetur; elabitur.* l. *cum prorſus ſit ſomnio ſimilis.*

Ibid. fin. *Idem Deos veſtros, induendo ſtupra, ſuſpiria, odia, dedecorat.* ſ. *inducendo.*

Cap. XXXVIII. *Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non ſentienti facem, aut non ſentienti coronam.* Hactenus equidem probo quam propoſui emendationem *Spec. Crit.* p. 19. 20. Nec tamen abſurde prorſus legeris: *quemadmodum tribuatis exanimi, non ſentienti, facem, aut coronam.* Verba *aut non ſentienti* forſan geminavit librarius intentus parum. Sed, ne in his nimii ſimus, miſſum nunc faciamus Minucium.

CA-

CAPUT VIII.

Quaedam de Althelmo. idem correctus ſaepe, & illuſtratus. variis Corippi locis genuina lectio reſtituitur. faſtus in ſingulari, pro libro. Virgilius a vi majore vindicatus. ſiccus i. e. ſolus. aut & haut permutata. Seneca philoſophus emendatur. vocula neu a librariis paſſim de ſede depulſa. Tacitus, nec non Iſcanus mendo liberati. tentata olim in Corrippo emendatio retractatur. fera pro bellua marina. fluctivagum mare.

Haud ſane pauca ſunt in Althelmi (qui aliis Anthelmus dicitur, vel Adelmus, vel Aldelmus,) *de laude Virginitatis* Carmine indicia non plebejae eruditionis, & limatioris ingenii. Multa tamen traxit & ex opinionibus, & barbarie ſeculi ſui. Quo pertinent vulgares fabellae, quibus nimium ſaepe indulget; ut mira erat hujus temporis credulitas, & maximus etiam doctiſſimorum ſtupor: tum metri ratio paſſim ab eo neglecta, & quaſi data opera; ſic ut ſine horrore ſaepius legi non poſſit. Veriſſimum itaque Caſparis Barthii, accuratiſſimi harum rerum cenſoris, judicium, quando ingenioſum hoc, ſed incurioſum carmen vocat, lib. XIII. *Adverſar.* Cap. 17. Cui etiam ſuo merito doctiſſimus verſi-

ſificator audit Althelmus, in Commentar. *ad Stat.* lib. v. *Theb.* ℣. 253. Profecto enim magis verſificator dici meretur, quam Poeta; doctus tamen, & quo vixit aevo major. Eo autem infelix fuit, quod ab inperitis librariis ſpurciſſime inquinatus plurimis in locis ſe pejor ſit redditus, ac miſerrime divexatus priſtinam prorſus faciem amiſerit. Equidem Joannes Fridericus Gronovius, unicus ille veterum Aeſculapius, hanc ſcriptoris noſtri ſortem miſeratus iniquam, ex Mſto Oxonienſi, & ſuopte ingenio, quo mire pollebat, innumera in eo vulnera ſanavit, & lacerum crudeliter ora ſibi utcunque reſtituit, in *Obſervatis ad Script. Eccleſiaſt.* conf. *Syllog. epiſtol. Petri Burmanni* To. 2. p. 596. Sed quum tot aliis & gravioribus curis diſtractus eſſet vir eximius, non potuit per omnia medicas manus Althelmo admovere, atque ita nobis otium reddere. Sequemur paſſibus non aequis tantum ducem.

Praefat. ℣. 7. 8.

Arbiter altithronus, qui ſervat ſceptra ſuperna,
Tradidit his coeli per ludum ſcandere limen.

Illa *per ludum* hic adeo ſunt inepte poſita, ut luſiſſe Althelmus videatur, quum iſta ſcriberet. Modo tamen ſic ſcripſerit. Quod non puto. Forte, *per tutum ſc. l.*

℣. 11.

Omnitenens dominus, mundi formator & auctor.

Co-

Coripp. lib. II. ℣ II. 12:

> *Omnipotens princeps, ſummi pater inclyte verbi,*
> *Lux aeterna Deus, rerum formator & auctor.*

Ubi quum prius reſcribere vellem, *formator & altor*, aut *ſervator & auctor*; mox me retinuit Althelmus, qui Corippum aemulatus fuit. Interim tamen is paullo poſt corrigendus ℣. 16:

> *Et coeli liquidos formatrix condidit ignes.*

l. *ornatrix c. i.* Iterum habet ℣. 20:

> *Formavit varias, habitu diſtante, figuras.*

Quae crebra verbi *formare* repetitio informis eſt, nec toleranda. In ℣. 18. pro, *ornavit ſolem radiis*, l. *armavit ſ. r.*

℣. 24. ad S. Mariam virginem:

> *Nam tu perpetuum promſiſti lumine lumen,*
> *Titan quem clamant ſacro ſpiramine vates:*
> *Cujus per mundum jubar alto ſplendet ab axe.*

Coripp. l. IV. ℣. 302:

> *Natus ab aeterno, plenum de lumine lumen.*

Venant. Fortunat. *de partu virg.* ℣. 135:

> *Poſt tenebras ſolem tua revocat alvus in orbem;*
> *Cum domini jubaris irradiavit apex.*
> *In te habitans mundi lumen ſtatione coruſca,*
> *Floruit interius per tua membra Deus.*

Vide

Digitized by Google

Vide ſequentia; nam & haec ut priora Althelmus expreſſit. *Sacro ſpiramine* etiam Coripp. l. II. ℣. 23:

Vivificans ſiccum ſacro ſpiramine lutum.

Rittershuſius ibi, propter metrum, emendat, *ſ. ſp. limum.* Quod firmat Claudian. Mamert. *contra Poetas vanos* ℣. 42:

Formatumque hominem limo, & ſpiramine ſacro
Afflatum referens.

Althelm. in Carmine vſ. 396:

Edidit affatim ſacro ſpiramine plenus.

vſ. 8. Carminis.

Arvorum gelido qui cultus fonte rigabis,
Et ſegetum glumas nimboſis imbribus auges.

l. *cultus fonte rigatos* & *ſ. gl.*

vſ. 17. 18.

Da prius auxilium, clemens, ut carmine poſſim
Inclyta ſanctorum modulari geſta priorum.

l. *da pius auxilium clemens, ut c. p.* Virgil. 2. *Aen.* 691:

Da deinde auxilium pater, atque haec omina firma.

vſ. 21.

Ut

Ut faſti ſeriem memini dixiſſe priorem.

Eodem modo in ſingulari numero *faſtus* dicitur Corippo lib. IV. ℣. 137:

——— *Antiqui redeunt nova ſecula faſti.*

Sed ibi malim legere, *a. reddunt n. ſ. ſ.* Alterum nimiam barbariem redolet, & ab aetate Corippi magis ſemotum.

℣. 28.

Verſibus infandis nonum quem dicere dignor.

l. *non umquam.* Et id haud dubie Hanckius voluit, quem Jacob. Basnagius *ad Canis.* To. I. *antiq. lect.* p. 714. in nota Mſ. legiſſe refert *non numquam.* quod hic nihili, & male excerpſiſſe videtur Basnagius, ut qui, in hac critices parte parum ſe verſatum fuiſſe, pluribus argumentis palam fecit, vir alioquin rerum eccleſiaſticarum peritiſſimus. Non omnia poſſumus omnes.

℣. 170.

Dactylus ut dulcis frondenti vertice palmae
Truditur ex ſicco, praeſtabit ſtipite proles.

Imitatur Virgil. II. *Georgic.* ℣. 30. 31:

Quin &, caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur ex ſicco radix oleagina ligno.

Quem locum fruſtra emendare adgreſſus fuit vir doctiſſ. Julius Pontedera, apud cl. Gesner. *Collect.*

 Scrip-

Scriptorum rei ruſt. p. 1297. 1298. Legit is, *truditur ex ſicto.* ut *ſicto* ſit ἀρχαίως dictum, pro *ſecto.* Sed vulgatam tuetur & Althelmus, & quod praeceſſit *caudicibus ſectis.* Neque enim Virgilius a tautologia excuſari poſſet, ſi in tam brevi intervallo, & abſque ulla ratione, eadem nobis bis dediſſet. Forte *ſicco ſtipite* eſt ſolo trunco, frondibus & cacumine deſtituto. de qua *ſicci* notione vide magnum Salmas. *ad Capitolin. in Maximin. duob.* Cap. 13.

Sequitur.

Unio de concha ut ponti ſordente niteſcens
Naſcitur, & proprio matrem praecellit honore.

Sedul. II. *Paſch.* 28:

Et velut e ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil, quod laedat, habens, matremque obſcu-
rat honore.

ỷ. 176:

Si ſacra virginitas coelorum grata colonis.

l. *ſic ſacra v.*

ỷ. 201,

Pulcras geſtabat Chriſto regnante coronas.

l. *geſtabit.* Forte &, *Chriſto dignante.*

ỷ. 225.

Gar-

Garrulus aut etiam vileſcit graculus ater.

l. *haut etiam.* Quo pacto & apud Senecam reſcribendum *Epiſt.* 19. *Aliquid & pro otio audendum eſt, aut in iſta ſollicitudine procurationum, & deinde urbanorum officiorum, ſeneſcendum in tumultu.* Lege, ut ſanitas ſententiae conſtet, *audendum eſt: haut in iſta ſollic.*

℣. 237.

Punica neu granis temnuntur mala rotundis.

Hanckius, notante Basnagio, *P. nec g.* Mihi non adparet, cur mutetur. Saepius autem, & quaſi fato quodam, vocula *neu* vim paſſa fuit. Ut in Taciti lib. 1. *Annal.* Cap. 7: *Quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne laeti exceſſu principis, neu triſtiores primordio.* l. *neu laeti.* Coripp. lib. 1. 205:

Ne quis in Auguſtam contrarius audeat aulam
Inſenſum conferre pedem. (devotio tanta,
Atque hominum cautela fuit, ſollersque bonorum
Sollicitudo patrum.) Nam quis tentaret obeſſe,
Quum Deus imperium ſancto jam dixerat ore
Juſtino Sophiaeque datum?

Sic editur. A Corippo, ni fallor, venerat:

Inſenſum conferre pedem; (devotio tanta,
Atque hominum cautela fuit, ſollersque bonorum

Sollicitudo patrum) neu quis tentaret obeſſe,
Quum Deus imperium ſancto jam dixerat ore
Juſtino Sophiaeque datum.

Semper τo *nam* antecedentium rationem innuit. Hic vero ut prioribus cohaereat, nec Lynceus forte viderit. Ego certe ſtuporem meum lubens profiteor. Iſcan. lib. II. vſ. 28.

Concives habuiſſe Deos. hem linquet inultum
Tiſiphone. l. *neu linquet i.*

vſ. 242.

Ut tamen electos, qui nectunt foedera nuptis.

l. *nuptiis*. per ſynaereſin. vſ. 1968:

Ad ſtirpem generis ſatagebant dedere nuptis.

In margine *nuptum.* l. *nuptiis.* vſ. 2185:

Has Chriſti famulas nuptis adſciſcere geſtit.

l. *nuptiis*. vſ. 2343:

Ad prolem generis ſatagunt adjungere nuptas.

l. *nuptiis.*

vſ. 274.

Heliam colit, ut ſuperis in ſedibus Henoch.

l. *Helias incolit, ut ſ.*

vſ.

vſ. 305.

Atque ſuperna Dei vatem praeſagmina ditem
Coelitus inplebant.

Hanckius, *v. praeſamina ditem.* l. *praeſagia.*

vſ. 345.

Mox intellexit praeſago pectore vatis.

l. *vates.*

vſ. 423.

Idcirco mundus mundum ſine labe piacli
Abluit, & laticis Chriſtum ſub flumine tinxit,
Humida fluctivagi ſacrantem caerula ponti.

Gemina Sedul. lib. II. vſ. 159:

Ipſe nihil, quod perdat, habens, ſanctoque liquentes
Corpore mundavit latices, lymphasque beavit
Gurgitis, & propriis ſacravit caerula membris.

Optatus Afer *de Shism. Donat.* l. 1. Cap. 8: *Chriſti autem caro, dum in Jordane deſcendit & adſcendit, merſa a te dici non debuit: cujus caro ipſo Jordane ſanctior invenitur, ut magis aquam ipſa deſcenſu ſuo mundaverit, quam ipſa mundata ſit.* Porro illa, *fluctivagi ſacrantem caerula ponti*, in memoriam mihi revocant Corippi verba ex lib. 1. vſ. 109:

Gratior ille fuit dominis locus, unde ſolebant
Undivagum ſpectare fretum.

In *Spec. Crit.* p. 16. tentabam, *u. ſp. ferum.* Et ſic ſane *fluctivagam praedam* Sedulius dixit l. v. vſ. 395. *Feras* autem vocari belluas marinas, praeter Ovidii & Pedonis Albinovani loca, docet etiam Claudianus, cujus mihi indicium Amicus fecit, *de nupt. Honor. & Mar.* vſ. 160:

Nec non & variis vectae Nereides ibant
Audito rumore feris.

Sedulius l. I. vſ. 178. de Jona, quem cetus devoraverat, *tutusque in ventre ferino.* ubi vid. Cellar. Vel ſic tamen nihil nunc in Corippo mutari velim. Ita enim & lib. II. vſ. 327:

Fluctivagum pelagus, quod tempeſtate movetur.

Althelm. *de l. virg.* ſub init:

Sic quoque fluctivagi refraenas caerula ponti.

Et vſ. 1082:

Turgida fluctivagis ſopivit caerula campis.

Fortunat. *de vita Martini* l. IV. vſ. I:

Poſt mare fluctivagum repetens ad litora portum.

vſ. 457:

Fer-

Ferrea vectiferae fracturus limina valvae.

l. *f. peſtiferae fr.*

vſ. 467.

Plurimis idcirco divulgans ſemina famae
Virtutum rumor latum crebeſcit in orbem.

l. *plurimus i.*

vſ. 490.

Sed Deus excelſus, qui mutat corda reorum.

f. *corda ferorum.*

CA-

CAPUT IX.

Cypriani libellus de idolorum vanitate multimodis emendatur. ejusdem Cypriani diverſa in Minucio Felice lectio notatur. duit. Commodiani locus forſitan correctus. deductor. Acta Caſſiani metro deſcripta ſuam recipiunt ſcripturam.

Ne nimia in Althelmo mora lectori forte faſtidium pariat, varietatis ergo nonnulla hoc capite inmiſcebimus ad Cypriani libellum *de idolorum vanitate.* Subjunxit eum Jacobus Gronovius, vir clariſſimus, editioni ſuae Minucianae; quam ſequimur.

Pag. 392. *Nam & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando bonore celebrabant. inde poſteris facta ſunt ſacra, quae primis fuerant aſſumta ſolatia.* Non potui percipere, etiam poſt ſeriam meditationem, quid illa *dando bonore* hic ſibi velint. Primo intuitu legendum credebam, *jam dum & immolabant hoſtias, & dies feſtos tanto bonore celebrabant, inde p.* Poſtea mihi verius viſum, ſi ſic ſcriberemus: *jam & i. b., & d. feſtos indicendo* (aut *dicendo*) *bonore celebrabant. Inde p* Virgil. 1. *Aen.* vſ. 636:

— *Simul Divum templis indicit bonorem.*

P.

P. 393. *Inde per gentes & provincias ſingulas varia deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus Deus colitur, ſed propria cuique majorum ſuorum cultura ſervatur.* Opportunum magis ſententiae fuerit, ***varia deorum religio putatur.***

P. 394. *Eſt Romulus pejerante Proculo Deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & Conſus; quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum, coli Romulus voluit.* l. *v. conſiliorum ducem.* Poſt *Romulus* minor diſtinctio ponenda; comma dicitur.

Ibid. *Ut ſit apud illos & Viduus Deus, qui anima corpus viduet, qui quaſi feralis & funebris intra muros non habetur, ſed foris collocatur; & nihilo minus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur.* l. *quique quaſi feralis & fun.* tum, *& nihilo minus is, quia ext.* aut, *& n. minus Deus, q. e.* Sed prius amplector.

P. 396. ***Horum autem omnium ratio eſt illa****, quae fallit, & decipit, & praeſtigiis, caecantibus veritatem, ſtultum & prodigum vulgus inducit.* f. *ſt. & pr. v. inludit.* quia praeceſſit, *fallit, & decipit.* & amant hi ſcriptores ejuſdem fere notionis vocabula conjungere.

Ead pag. in fine. *Nam & falluntur, & fallunt, vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentem terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, mor-*

bos laceſſunt. l. *irrepentes etiam corp.* & *morbos faceſſunt.*

P. 397. *Nec aliud illis ſtudium eſt, quam a Deo homines avocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu verae religionis avertere.* An? *& ad ſuperſtitionum ſinum ab i.*

Paullo poſt. *Videas illos noſtra voce & operatione majeſtatis occultae flagris caedi, igne torreri.* f. *n. voce, ut operatione m. occultae, fl. c.* Minuc. Felix Cap. 27. *Quoties a nobis tormentis verborum, & orationis incendiis a corporibus exiguntur.* Ubi Cyprianus legiſſe videtur *tormentis verberum.* Ipſe enim id effert per *flagris caedi.* Solet autem Minucii veſtigia usque legere; ut ſaepe verbotenus eum exſcribat.

P. 398. *Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima ſui auctoris & principis admonetur.* f. *jam &.* tum, *auctoris & principii.*

Ibid. *Et Deus mihi reddet; & quod vult Deus; & ſi Deus dederit.* l. *& quod duit Deus.* De verbo *duit* vid. cl. Davies. *ad Commodiani Inſtruct.* num. XIV:

Unum quaere deum, qui poſt mortem vivere diat.

Davies. *vivere duat.* Malo *v. ſciat.*

P. 399. de Judaeis ait. *Quae contracta ſit religionis offenſa, ipſi quoque teſtantur, qui etſi* vo-

voce tacent, exitu confitentur. diſperſi & palabundi vagantur, ſoli & coeli ſui profugi per hoſpitia aliena jactantur. Lego, *teſtantur. Quin etſi voce tacent, exitu confitentur, dum diſperſi & palabundi vagantes, ſ.* Forte quis credat τὸ *vagantur* a gloſſa natum; neque ego iſtud abnuo.

Pergit. *Nec non Deus ante praedixerat fore, ut vergente ſeculo, & mundi fine jam proximo, ex omni gente, & populo, & loco, cultores ſibi allegeret Deus multo fideliores.* Ultimum *Deus* manifeſtam arguit gloſſatoris manum. quamvis ſcribi poſſit, *cultores ſibi allegeret, & eos m. ſ.*

Ibid. *qui per prophetas omnes retro illuminator & deductor humani generis praedicabatur.* Legebam *reductor.* Sed rectiora me docuit cl. Havercamp. *ad Tertull. Apolog.* Cap. 21. In praecedentibus malim, *gratiae diſciplinaeque arbiter, & magiſter, & ſermo filius Dei mittitur.* Editur, *arbiter & magiſter ſermo & filius D.*

P. 400. *Itaque cum Chriſtus Jeſus, ſecundum a prophetis ante praedicta, verbo & vocis imperio daemonia de hominibus excuteret, paralyticos reſtringeret, leproſos purgaret, illuminaret coecos, claudis greſſum daret, mortuos rurſus animaret.* Eadem fere in *Actis Caſſiani metro deſcriptis* (apud Fontanin. *adpend. ad Antiq. Hortae* p. 343. ſeqq.) num. 1:

Tunc coepere viri divino flamine pleni
Surdis auditum, caecis imponere viſum,

Attactum mancis, greſſum concedere claudis,
Daemonas expelli, functis balitum reparari.

l. *Daemones expelli, functis balitus reparari.*

Althelm. *de l. virg.* in S. Joanne:

Suſcitat interea ſopita cadavera leto,
Quae gelidae ſtrictim nodabant vincula mortis:
Dedidit obtutum coecorum lumina tangens:
Claudos firmatis mox juſſit pergere plantis.

Ibid. *Hunc* (Chriſtum) *magiſtri eorum atque primores, hoc eſt, quos & doctrina ille & ſapientia revincebat, Pontio Pilato tradiderunt.* Illud *hoc eſt* Studioſi videtur, qui ad marginem Codicis ſui indicare voluerit, hanc veram fuiſſe cauſſam, qua moti primores Judaeorum, invidia nimirum ſtimulante, Dominum noſtrum Pilato tradiderint. Quae intempeſtiva hominis religio librariis deinde fraudi exſtitit.

P. 401. *Tunc in coelum circumfuſa nube ſublatus eſt, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit,* (ſ. *protraxit,*) *ad patrem victor imponeret; jam venturus e coelo ad poenam diaboli.* l. *ad patrem victorem poneret; jam jam vent.*

Ibid. *Per orbem vero diſcipuli magiſtro & Deo monente diffuſi praecepta in ſalutem dare.* ſ. *magiſtro id eos monente.* Licet nec temnendum, quod in Veronenſi exempl. legi docet Gro-

Gronovius, *non magiſtro, ſed Deo m.*

Ibid. *Ac ne eſſet probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſſio, per tormenta, per cruces, per multa poenarum genera tentantur.* Vox *delicata* parum hic delicata eſt. Mihi quidem non ſapit. Quid ſi? *de Chriſto declinata conf.* Ne, inquit, probatio videatur minus ſolida, aut confeſſio de Chriſto fuiſſe declinata, per varia poenarum genera a Deo tentantur fideles. Id ſequentia porro adſtruunt. Et ſic abſolvimus quoque hoc Cypriani opuſculum. Ad alia tendamus.

CAPUT X.

Complura Althelmi emendantur. idem primam in teſtantur, geſtorum, & ſimilibus, quo modo corripiat, paucis notatur. cluſtella. patulum crucis. Althelmi plectentes, caephal, caumata, Graeco idiomate. ejusdem ex Proſa locus breviter illuſtratur. carinae defrutum. Corippo medicina. &c.

Althelmi *de laude Virginitatis* carmini, ut coepimus, porro opitulari juvat.

Num. VIII. in S. Luca.

Dum Chaos abſtruſum, & torpens confuſio rerum
Tetrica terrificis texiſſet ſecla latebris,
Theſaurosque poli reſeraret clave paternos:
Donec quadrati praepollens conditor orbis,
Florida ſub nimbis formaſſet ſecla ſupernis.

Aut talpa ſum, aut ita haec conſtituenda:

Tetrica terrificis texiſſet ſecla latebris:
Donec quadrati praepollens conditor orbis
Florida ſub nimbis formaſſet ſecla ſupernis,
Theſaurosque poli reſeraret clave paternos.

Num. IX. in S. Clemente.

—— *& merito cui dat clementia nomen.*

l. *e merito.*

Num. x. in S. Sylveſtro.

Dum conſternata mox omnes terga dederunt.

l. *Tum conſternati.*

Ibid.

Hic fuit, ut fertur, comes integritatis adeptus,
Donec ſupremam claudebat tempore vitam.

l. *conum integritatis ad.* tum, *claudebant tempora v.*

Ibid.

Suſcitet, & vetulae rurſus cum ſoſpite vita.

l. *vetula r. cum ſ. vitam.*

Ibid.

Nec non & furvis terrarum complectitur alis.

l. *terram c. a.*

Num. xiv. in S. Baſilio.

Et juſte jugiter fulgeſcant foedera mentis.

l. *juſtae.*

Num. xv. in S. Antonio.

Unus

Unus in aetherios per coeli culmina campos;
Alter ſic Herebum luſtrat ſine ſine profundum.

l. *unus ut aetb.*

Ibid.

Quoque modo ſpurcas curavit corpore clades.

l. *curarit.*

Num. XVI. in S. Paulo.

Haud ſecus & Paulus, ſignis ſuper aethera notus,
Omnibus & regnis, quae luſtrant lumina ſolis.

Referente ad marginem Caniſio, in M. S. legebatur, *quas luſtrant*. Unde ſcribendum arbitror,

Omnibus & terris, quas luſtrant lumina ſolis.

Imitatus autem fuit hoc Virgilianum:

Sum pius Aeneas, fama ſuper aethera notus.

Num. XV. in S. Gervaſio, & Protaſio.

Accipiunt pariter pergenti tramite Chriſti.

Hanckius, ut notat Basnagius, *per gentes*. Legendum utique *pergentes*, una voce. Quae & Hanckii mens fuit, Basnagio, ut ſaepius alibi, non perſpecta.

Num. XXI. in S. Narciſſo.

Qui

Qui genus humanum ſtrophoſis eludere certat.
Concilium glomerant cum trino teſte nefandum,
Qui ſcelus horrendum concinnat crimine falſo.

Incipe, ſi quid habes; & ſenſum quaere. Sed fruſtra ſudabis, ſat ſcio. Corrupta enim haec ſunt; neque expedienda, niſi critica manu. Cur non ſcribimus?

Qui genus humanum ſtrophoſus ludere certat,
Concilium glomerans cum trino teſte nefandum,
Qui ſcelus horrendum concinnant crimine falſo.

Vide ſequentia. Primam in *ſtrophoſus* etiam infra corripit,

Alter ſubſequitur ſtrophoſam ferre querelam.

Ibid.

*Machina detegiter caecis fruſtrata * ſtellis.*

Deſideratur aliquid. Canis. *fruſtrata futelis.* Tu lege, *fr. cluſtellis.* Supra ℣. 80:

Egregius doctor verbi cluſtella reſolvat.

& alibi:

Clavibus Auſonia verbis cluſtella reſolvens.

l. c. *Auſoniae verbi c. r.* Neque te turbaverit metri inſolentia. Ita paſſim Parthenius noſter. ut,

Scriptorum veterum liquido monumenta teſtantur.

Cui ſimile illud,

Quae modulum & numerum excedunt pro mole geſtorum.

l. *prae mole.* Stupebis ad iſta. Et ego ſtupui. Vide tamen, quo colore defendi poſſint. Non equidem Althelmus in his ſyllabas, quae natura ſua longae ſunt, breves efficit. Abſit. Melius ominari licet de tanto vate. Riſum teneatis? Sed ſerio agimus. Nimirum ſic ille intercidit, *clu-ſtella*, *te-ſtantur*, *ge-ſtorum.* Satis lepide. Et dubitamus adhuc virginem permanſiſſe Althelmum? Vellem! vitiata Poeſis negat.

Num. XXII. in S. Alexandro, & Athanaſio.

Qui dudum exſtiterat librorum tramite lector.

Hanckius, *librorum famine.* An? *l. dramate.*

Ibid.

Cerneret ut nusquam radiantem lumine Phoebum,
Juſtitiae vero ſolem ſeptemplicis, & re
Quem ſacra per biblos deſcripſit litera lautos
Pectoris intuitu deſiſtit cernere nunquam.

l. *& te, quem ſacra p. b.* aut, *e re quem ſ.*

Num. XXIII. in S. Babyla.

Fla-

Flatu defendens ſacri veſtibula templi.

l. *Fatu d.*

Num. XXIV. in S. Coſma, & Damiano.

Qua croceos Titan radios defundit in orbem.

l. *qua croceus T. r. diffundit in o.*

Ibid.

Quos materna ſimul matris enixa gemellos
Edidit in mundo ſortitos nomina dupla.

l. *matrix e. g.*

Ibid.

Sic facula flammae fornacis fomite friget.

l. *ſed f.*

Num. XXV. in S. Chryſanto.

Induit egregium pretioſa veſte nitentem.

An? *i. ephebum.* contra metrum; ſed ſuo more.

Ibid.

Et ſequitur Chriſti quadratis dogmate biblis.

l. *dogmata.*

Ibid.

Exin tortores buculam deglubere birſa
Mandant, ut crudo ſtringantur tergore membra
Martyres ardentem paſſuri lumine ſolem,
Torrida ſed Titan compreſſit fulmina frendens.

Nullum horum vel nexum vel ſenſum video. Quid ſi ſic digerantur?

Exin tortores buculam deglubere byrſa
Mandant, ut crudo ſtringantur tergore membra
Martyris, ardentem paſſuri lumine ſolem.
Torrida ſed Titan compreſſit fulmina fervens.

Ibid.

Ecce repente pios nodatos arbiter artus

Eripit. l. *pius.* Infra:

Sed pius adſpectans certantis bella puellae
Arbiter, horrendas diſcuſſit carceris umbras.

Ibid.

Sed leo de clatris rigibundus mittitur atris.

l. *de claibris r. m. artis.*

Ibid.

Tunc demum Auguſti qui Romae regna gerebat,
Decreta rubras ſumſerunt morte coronas.

l. *Tunc demum Auguſti qui Romae ſceptra gerebat*
Decreto rubras ſumſerunt morte coronas.

Ibid.

Ibid.

Credimus ut fauſtis glomeratos jure catervis
Suſcitet ad requiem.

l. *Coelitus ut f.*

Num. XXVI. in S. Juliano.

Protinus e ſtrato feſtinat ſurgere miles,
Ne metuas juvenis ſortiri dote puellam.

l. *feſtina ſurgere miles, Neu metuas j.*

Ibid.

Haud ſecus in Divos, quorum caſſata poteſtas,
Ad fundum cecidit; ſaevit regnator Olympi.

l. *Haud ſecus in Divos, quorum quaſſata poteſtas*
Ad fundum cecidit, ſaevit r. O.

Ibid.

Sic quoque terga dedit caſſato numine Phoebus,
Qui fuit infauſti Saturni filius atrox:
Jupiter ingentem quem pompant carmina vatum.

Niſi prorſus inſaniiſſe velimus Althelmum, ne moremur legere:

Sic quoque terga dedit caſſato numine foedus,
Qui fuit infauſti Saturni filius atrox,
Jupiter, ingentem quem pompant carmina vatum.

Ibid.

Hic Cereris ſobolem nigrantes vexit ad umbras:
Sed regina ſequi matrem Proſerpina nolle,
Fertur in antiquis falſato grammate libris.

l. *ſed r. ſ. patruum Pr. n. fertur*, *in a.* aut, *ſ. matrem Pr. malle fertur*, *in a.*

Ibid.

Quadam natorum putreſcens ſorte cadaver
Turpiter introrſus bulliret vermibus atris.

Hanckius, *qua denatorum.* Tu bonis avibus emenda:

Qua damnatorum putrescens ſorte cadaver.

Ibid.

Nec lucis radios linquens ergaſtula ceſſit.

l. *lucis radius.*

Ibid.

Licia tunc digitos oleo madentia nectunt.

l. *digitis.*

Ibid.

Sed ſecus evenit Sanctis victoria palmae.

l. *nec ſecus ev.*

Num.

Num. XXVII. in S. Amos.

Hic quondam offendit turgentem tempore Nilum.

l. *hic quodam o.* Niſi malis, *turg. corpore N.*

Num. XXVIII. in S. Apollonio.

Botros, & ficos, & plures ordine tortas.

l. *pl. o. ſportas.* Paullo inferius:

Tum tres expendit ſportas cum pane refertas.

Num. XXIX. in S. Hieronymo.

Quando crucis gabulum ſacrato corpore ſcandit.

Forte, *Q. crucis patulum ſ. c. ſc.* Sic Alcimo Avito *excelſum crucis* ſimpliciter dicitur, lib. VI. *Poemat.* 226:

In crucis excelſo pendens ſine crimine Chriſtus.

Noſter num. 24:

Tunc crucis in patulum coguntur ſcandere robur.

num. 26:

Dum pius in patulum dignatur ſcandere lignum.

Sedul. v. *Paſchal.* 182:

Pro-

Protinus in patuli ſuſpenſus culmine ligni.

& ỳ. 385: *patulo jam frigida ligno viſcera pendebant.*

Num. XXXII. in S. Caecilia.

Sic quoque carnifices torrebant igne puellam.

l. *hic quoque c.*

Ibid.

Sic dicto citius perdebat flamma vigorem.

l. *ſed d. c.*

Ibid.

Femineum indolis gaudens ſpectare triumphum.

Forte, *ſ. in coelis g.*

Num. XXXIII. in S. Lucia.

Tetrica mox ſponſi fervent praecordia felle
Gorgoneis infecta malis, pro virgine dempta.

In M. S. *per virginea.* docente Caniſio. Unde legendum fuerat, *prae virgine adempta.*

Ibid.

Chriſto ſponſam nitens auferre venuſtam.

l. *Chr.*

l. *Chr. desponſam n.* aut, *Chr. ſponſatam n.*

Ibid.

Nec blanda flecti leonum fraude valebat.

l. *lenonum.*

Num. XXXIV. in S. Juſtina.

In tantum, ut dirts certaret daemoniis armis.
Quod magus aſſidue ſtrophoſus miſit ad almam

l. *d. armis, quae m.*

Num. XXXV. in S. Eugenia.

Ac ſexum ſimulans, poſſet tonſura virilis
Hac ratione rudi ſic occultare latentem.

l. *ut ſ. ſimulans p. t.*

Ibid.

Plurima tunc etiam fortunae caſibus actae
Turma propinquorum queſtus e pectore promit.

l. *f. c. acta.*

Ibid.

Triſtia roriſlui humectant imbribus ora.

l. *roriſluis.*

Ibid.

Virginis intactae noluit monſtrare triumphos.

l. *voluit m.*

Ibid.

Sicut matrona ſtimulis agitata malignis,
Illuſtrem Chriſti famulam ſermone procaci,
Deformare ſtudet, naturae jura recidens;
Sic iterum infelix &c.

l. *Sic ut matrona, ſtimulis agitata malignis,*
Illuſtrem Chriſti famulam ſermone procaci
Deformare ſtudens, naturae jura reſcindens,
Sic iterum infelix.

Pro *recidens* in m. f. habebatur *praeſcindens*. unde *reſcindens* formavi.

Num. xxxvi. in S. Agnete.

Almaque probroſis notetur vita loquelis,
Quae infirmare ſtudent vernarum nomine Chriſti.

Si quid ſapio; mecum ita lege:

Almaque probroſis notetur vitta loquelis,
Quae infimare (aut *infamare*) *ſtudent vernarum nomina Chriſti.*

De metro, quod iterum moneo, nihil laborandum in hujusmodi verſifice.

Ibid.

Sed

Sed Deus inſontes qui ſemper jure triumphat.

Lege, diviſis vocibus, *in ſontes.*

Num. xxxvii. in S. Thecla.

Sic ſator electis cum mundi ſcammate certant,
Aurea coeleſtis largitur praemia regni.

l. *cum mundi ſcommate certans aurea c.* vel, ſi magis hoc velis, *cum mundi ſcommata certant.*

Ibid.

Martyr perpetui dum ſcandit lumina coeli.

l. *Martyra.* cum Gronovio. tum, *ſc. limina c.*

Num. xxxix. in S. Scholaſtica.

Quatenus acciperent ſacrarum dulcia noctum
Fercula librorum. l. *acciperet.*

Ibid.

Tunc manſit volens, qui pridem ſponte negavit.

l. *tunc mandit v.*

Num. xl. in S. Conſtantina.

Contempſit mundum felix cum flore virentem,
Arida ceu paleae projecta peripſema ſqualent.

An? *cum flore virente arida c. p. pr. peripſmata ſqua-*

ſqualent. aut, *cont. m. f. in fl. juventae*; *arida ceu* &c.

Ibid.

Mallet immunis regi famularier alto.

l. *mallet & i.*

Num. XLIII. in S. Anaſtaſia.

Splendida purpureis plectentes ſerta coronis.

l. *flectentes.* Niſi *plectentes* formaverit ex Graeco πλεκω. Qualia multa in Althelmo, & hujus farinae auctoribus. Tale eſt,

Sed contrita rotis extollit vipera caepbal.

& alio loco,

Torrida flammantis laturus caumata ſolis.

Qua forma etiam Martian. Cap. lib. 1. p. 8. *nam flamma flagrantior, & ab ipſis cecaumenis exanclata fomitibus.* Eodem modo *carinae deſiutum* Althelmo in Proſa dicitur, a καρος, quod dialecto Dorica *ceram* indicat. unde & apud Plautum *carinarius.* ad quem videri Turnebus poteſt. Althelmi Cap. 2. ſub init. haec ſunt: *Multa nectaris ſtillicidia guttatim roſtro decerpunt, & velut lento carinae deſruto, quod regalibus ferculis conficitur, avida viſcerum receptacula certatim complere contendunt.* Gronovius *in Scriptor. Eccleſ.* Cap. 4. legit, *caſiae deſru-*

ro. At nihil mutandum eſſe, ex dictis, puto, jam liquet.

Ibid.

Sic Deus ex alto, qui ſanctos jure triumphat.

l. *Sed Deus ex alto, qui ſontes j. tr.*

Num. XLIV. in S. Rufina, & Secunda.

His pater Aſterius, nec non Aurelia mater,
Nobilium pulcra conſulum dote procorum.

l. *conſulunt d. pr.*

Ibid.

Ut tempeſtatem tranquilla mente neſcirent,
Quam rea ſponſorum concinnant crimina ſponſum.

l. *ſp. crimina ſontum,*

Ibid.

Sed tamen in thermis crepitantes fomite flammas
Protinus exſtinxit coeleſti rore poteſtas.

l. *coeleſtis r. p.*

Ibid.

Ut nihil innocuis laeſiſſet caro favillis.

l. *laeſa eſſet c. ſ.*

Ibid.

Sed famulas Chriſti nectebant coerula fluctu.

l. *vectabant c.* Atque ita Gronovius ex veteri libro. Sic emenda Corippum lib. IV. ℣. 153:

Et ſua placandis nectant donaria templis.

Rittersh. *nectunt.* l. *vectant.* Jacob. Philipp. Tomaſinus *de Donariis* Cap. I. citat:

Et ſua placandis nectunt donaria Diis.

Quod videtur ἁμάρτημα μνημονικόν.

Num. XLV. in S. Anatolia, & Victoria.

Fama praecipuus, pulſans rumoribus aures.

l. *fama, praecipuis p. r. a.*

Ibid.

Sceptrorum lumen dextra ſervabat in alma.

l. *ſc. culmen.*

Ibid.

Si

Si vos virginitas comes indefenſa tuetur.

l. *comes indefeſſa.*

Ibid.

Quorum ore rudi diverſis peſtibus aegros
Conglomerant, pariter ſtipantes agmine Sanctam.

l. *d. p. aegri.*

COR-

Digitized by Google

CORN. VALERII VONCK
LECTIONUM LATINARUM
LIB. II.

CAP. I.

Optato Milevitano liberali manu paſſim ſuccurritur. Tertullianus obiter correctus. de hodiernis Haeretificibus, data occaſione, quaedam diſſeruntur, fortaſſe non injucunda. Theodori Bezae aſperum ingenium. Marcellini Comitis e Chronico locus reſtituitur. praepoſitio de abundat ſaepe. audaciſſimae translationis unum & alterum exemplum. tanti i. e. tot. Corippus certiſſime emendatus. Pſeudo-Dictys vindicatus. Circumciſionis cauſſa phyſica in tranſitu obſervatur. &c.

Optati Milevitani *de Schiſmate Donatiſtarum* libris hoc caput dabimus; fortaſſis & plura alias.

Lib. I. Cap. IV. *Cujus* (Parmeniani) *dictis cum reſpondere, veritate cogente, compellimur: erit inter nos abſentes quoquomodo collatio. Eodem modo ſatisfiet & deſideriis aliquorum.* Ut reſcribamus *deſideriis aliorum*, ſequentia exigunt. Multoties ita miſcentur *alii* & *aliqui*, quemadmodum *alibi* etiam & *alii*. Quae quia fere eodem recidunt, hac occaſione leve mendum Tertulliano eximam *Apologet.* Cap. I. *Hic tantum curioſitas humana torpeſcit, amant ignorare, cum alii gaudeant cognoviſſe.* l. *cum alibi g. c.*

Sequitur. *Nam a multis ſaepe deſideratum eſt: ut ad eruendam veritatem, ab aliquibus defenſoribus conflictus haberetur: & fieri potuit.* l. *ut & fieri potuit.*

Cap. V. *Niſi, quod dum male inſtructus es, ut quod non vidiſti, ſed falſo audieris, loquereris.* Si quid video, legamus oportet, *tu quod non vidiſti.*

Cap. XIV. *Et cum ipſe Secundus a Purpurio increparetur, quod & ipſe diu apud ſtationarios fuerit, & non fugerit, ſed dimiſſus ſit; non ſine cauſſa dimiſſum fuiſſe, niſi quia tradiderat: jam omnes haeretici coeperant murmurare.* Qui hic *haeretici* tolerari poſſint, hodierni agite Αἱρετικοποιοὶ in ſuffragia ite. Quidquid vobis de nocte per aures obambulans ſuggeſſerit formicarum cohors, jam tempus eſt, promite. Conſulite in medium Patres. Qui genus? Unde domo nequam illi haeretici? quod feliciter vobis eve-

eveniat, decenti gravitate inquirite. Interim ego, dum per vos liceat, Conſcripti Viri, Μελανηφόροι, ſuſpendium haereticis mandabo, de juſtitia cauſſae ſatis tempeſtive, poſt ſumtum mox ſupplicium, viſurus. Atque id etiam veſtro exemplo. Quos enim auctores ſequar tutius?

——— *Nam vos majoribus ire per altum*
Auſpiciis, manifeſta fides.

Pergite modo, viri toto orbe famigeratiſſimi, & fauſto omine triumphum canite, *grandia laturi meritorum praemia.* Patiamini, quae veſtra eſt facilitas, ſuas ſibi res habere moroſos illos, qui, a veſtra manſuetudine nimium quantum degeneres, cum Romana illa Sulpicia ingeminare adamant,

Dic age Calliope: quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras, & priſtina ſecula mutat?
Noſque jubet tacitos, & jam rationis egenos,
Non aliter, primo quam quum ſurreximus aevo,
Glandibus, & purae rurſus procumbere lymphae?

Horum & ſimilium parum vos memores, quo coepiſtis pede, porro viam carpite. Ita tamen, ut, ne turgeſcere incipiant illi, aut virus ſuum ſpargant latius, Stentoreum in morem ſtatis vicibus tribunitios clamores excitetis, & ejusmodi humanitatis excrementa illico ad rogum rapienda, identidem admoneatis. Sic & eos, ut ſpur-

ciſſimam fabulam, in ſecula mittetis, & veſtrae indignationi, quantum par eſt, litabitis:

——————— Quis tam iniquae
Tam patiens gentis, tam ferreus, ut teneat ſe?

Permittite mihi, ut Poetae ethnici verbis coram vobis ſermonem faciam, viri longe Chriſtianiſſimi. Scio enim, quo laboretis metu, eoque ſane juſtiſſimo. A quo nimirum tempore paullo ſtudioſius Naturalem Jurisprudentiam excoli animadvertiſtis, protinus edax cura mellitiſſimas medullas veſtras inſolenter occupavit; atque ita novo more, ut vos decebat, timere occoepiſtis, ne ſtulta gentilitas caput efferret, & omnis iterum religio funditus everteretur. Nam aliter vobis ſedet, atque antiquis illis, qui vulgo ſevera lege ſtudiis operati exiſtimantur. Credebant illi, ut erant mire fungi, ac ſtipites plane, per Jus Naturae Chriſtianam Ethicen in clariori paſſim luce collocari, ejusque excellentiam longe melius intelligi, ubi ratiocinando & continuae meditationi rite quis aſſuefactus fuerit:

——— Quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent!

Hi illi ipſi ſunt, qui ubivis loci, praeterquam in myſteriis fidei, rationem praedicabant, eaque nos ſola a brutis animantibus diſtinctos, neſcio qua perſuaſione, arbitrabantur. Hanc neque decipi, nec umquam decipere, ex Lucretio, Epicuri illo de grege, libris ſuis, qua erant vanitate, praeſcribere non erubeſcebant. Quanto

to vos ſatius nullibi eam admittendam jubetis, Antiſtites Sacerrimi! Quis enim numen veſtrum adoret, Bullati Proceres? Quis aris imponat honorem? Si nobiliſſima illa Calchantum natio, longo proavorum ordine inſignis, ita omina digerere deſinat, ut tamdem ὁ λογος, poſt tot caſus, & rerum diſcrimina, in totum exterminetur:

Illum tu frenis, illum compeſce catena!

Equidem λογικην λατρειαν nobis Apoſtolus injungit. Sed & hoc vos, ut tot alia, tuto ſpernetis:

O populum late regem, belloque ſuperbum!

Dii boni! Qualis & quanta mihi naſcatur oratio, ſi facinora veſtra, & *rationalium creaturarum* ſtrages ex merito perſequar! Ante diem veſper componat. Verum alia hujus libelli dos eſt, & a Panegyrico remotior. Dabitur, modo vos adeſte favitores, commodior occaſio, in veſtra praeconia excurrendi:

——————— *Si quid mea carmina poſſunt,*
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo.

Nunc a diverticulo in viam propero, Optati verbis *haereticos* exemturus. Sic igitur illa conſtituenda cenſeo: *Non ſine cauſſa dimiſſum fuiſſe, niſi quia tradiderat, jam omnes ceteri coeperant murmurare.* Celeberr. Gronovius *in Script. Eccleſ.*

Eccleſ. Cap. 13. legendum putat, *omnes erecti c. m.* Atque ita ex uno Codice Du Pinius edidit. Quae quidem lectio ſenſum ſatis recipit commodum; obſcuriorem tamen. Quare meae me emendationis nondum poenitet.

Lib. II. Cap. II. *Inter quas cathedra eſt prima, ubi niſi ſederit epiſcopus, conjungi altera dos non poteſt, qui eſt annulus.* Recte, jubentibus ita Mſtis, Du Pinius inmutavit, *qui eſt angelus.* Quo modo jam ad Balduini editionem reponendum monuerat Theod. Beza, in notis mſſ. Communicavit mecum exemplar iſtud vir celeberrimus Abrahamus Wieling. Multa ei acria, ut erat valde inpotentis animi, adſperſerat Beza; maxime praefationi Fr. Balduini ad Joannem Lucanium, vero nomine Calvinum. Paſſim ibi habes invidioſa illa ἐπιφωνήματα, *mentiris! inepte! ſcilicet!* & ſimilia. Atque ea illis locis, ubi minime merebatur Balduinus. Ad argumenta enim viri nihil reſpondet, niſi frigida. Interdum eum *Apoſtatam* vocat, pio dicam, an inpio zelo abreptus, nec ſui compos. Inter alia, quando Balduinus ſua privatim nihil intereſſe ſcribit, Romanus Epiſcopus Arelatenſi, an Arelatenſis Romano major ſit, vel olim fuerit; ad marginem Genevenſis Theologus eum cani comparat, offam inhianti. Merebatur ſane leniorem cenſuram egregii viri candor, & ſolida eruditio, quorum paſſim in ea praefatione & alibi indicia proſtant. Sed tale erat Bezae ingenium, hominis alioquin non indocti. Videri poſſunt, quae hanc in rem notavit illuſtris Auctor *Prole-*

go-

gomen. ad N. Teſtamenti edit. ex Mſſ. procurandam Cap. 13.

Cap. IV. *Sic ſpeluncam quamdam, foris a civitate, cratibus ſepſerunt, ubi ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent.* Beza *h. poſſent.* Fruſtra. vide notas ad h. l.

Cap. V. *Inierunt etiam peccatorum viam, dum Chriſtum partiri conati ſunt; cum apoſtolus Paulus clamet & dicat, numquid diviſus eſt Chriſtus?* Scio *dixiſſe* illa Apoſtolum; *clamaſſe* autem vix puto. An non ſcribendum? *Cum apoſtolus Paulus clare edicat.* aut, *damnet, & dicat.*

Cap. VII. *Si hoc convicium faciendum erat, quod non licet: quamvis ſine cauſſa fiat, utinam aliquis ex veſtro numero hoc dixiſſet: & tamen te hoc dixiſſe ſatis admiror, id falſo in alterum dicere, ex quo, ſi ordinationem tuam conſideres, poſſis & erubeſcere.* Corrupta haec variis modis refingere adniſus fuit Mericus Caſaubonus, maximo parente digniſſimus filius. Liceat conjecturis doctiſſimi viri & hanc noſtram addere: *Si hoc convicium faciendum erat, (quod non licet, & quamvis ſine cauſſa fiat:) utinam aliquis ex veſtro numero hoc dixiſſet. Et tamen te hoc dixiſſe ſatis admiror, & falſo in alterum conjicere, ex quo, ſi ordinationem tuam conſideres, poſſis & erubeſcere.* Fortaſſe nonnemo opinari maluerit, τα *hoc dixiſſe* errore librarii hic ſibi locum inveniſſe, eo faciliori, quod paullo praecederet *hoc dixiſſet.* Quare, ſi cui ita videatur, legi

Cap. XIX. *Interea ſupra memoratus Felix inter crimina ſua, & facinora neſanda, ab eo comprebenſa puella cui mitram ipſe impoſuerat, a qua paullo ante pater vocabatur, neſarie inceſtare minime dubitavit.* Primo ſcribendum puto, *inter crimina ſumma.* Vitium ex ſcripturae compendio exortum fuit. Et id ſaepius alibi obſervare licet. Sic in Marcellini Comitis Chronico, ſeu potius locupletatore ejus, (apud Canis. vol. I. *Lect. Antiq.*) ad ann. 542: *Milites clam Veronam ingreſſi, dum avaritia inbiante de praeda concertant, a Gothis egredientibus de latebris cum ſuo dedecore civitate pelluntur.* l. *cum ſummo dedecore c. p.* Reliqua Optati ita velim digeras: *& facinora neſanda, ab eo comprehenſam puellam, cui mitram ipſe impoſuerat, a qua* cet.

Ibid. *Et de illa lingua auſus eſt ferre ſententiam, quae jam nec ad poenitentiam agendam vel idonea videbatur.* Beza, *& illa lingua.* deleto *de.* Vellet quiſpiam, *atque illa l.* Sed nihil mutandum. Paſſim ita, ſeriori praeſertim aetati, praepoſitio *de* πλεονάζει. vid. *Spec. Crit.* p. 49. 50. Salmas. *ad Tertull. pall.* p. 116. Sed an non legeretur rectius? *quae jam vel ad poenitentiam nec idonea videbatur.*

Cap. XX. *Et utique dicitis, Pater noſter, qui es in coelis, dimitte nobis debita & peccata noſtra. Quid vocaris, dum peccata confiteris tua? Si ſanctus es, dum dimittis aliena?* Etiamſi vel omnes augures, & aruſpices convocentur,

tur, non, puto, *vocaris* illud interpretari poteſunt. Eſt autem a ſciolo. Mihi crede. Forte ſcripſerat, *quid gloriaris, d. p.* Sed malim, *quid donabis.* Hoc enim eſt, quod Parmeniano, & Donatiſtis exprobrat. Supra, *cum enim ſeducitis aliquos, promittitis vos indulgentiam peccatorum eſſe daturos: & cum vultis donare peccata, veſtram profitemini innocentiam: & remiſſionem peccatorum ſic datis, quaſi nullum habeatis ipſi peccatum.*

Cap. XXI. *Talibus conſiliis veſtris, nonnullorum animi jugulati ſunt.* Audaciſſima, Hercle, tranſlatio! Qualis & illa Iscani, lib. v. ℣. 351. *dextrâ ſtomachante*; & Corippi, *brachia tendo ingenii, ſtudiique mei.* Similia in Statio, aliiſque.

Cap. XXV. *Unicuique ſepulcro ſufficit unum funus, & clauditur: gutturi veſtro honorum funera minime ſuffecerunt.* l. *tot bonorum f.*

Lib. III. Cap. II. *Ejusdem piſcis viſceribus Aſmodaeus Daemon a Sara puella fugatus eſt (quae intelligitur Eccleſia) & caecitas a Tobia excluſa eſt.* l. *quâ int. ecc.*

Cap. III. *Quid de levitate & furore laboravit tantis paupertibus impedire?* An? *tantus.* Qualis nimirum Donatus ſibi videbatur; nam de eo hic agit. Niſi *tantis* pro *tot* dixerit. Erat enim ingens pauperum numerus. Et ſic loquuntur non poſterioris tantum aevi ſcriptores; ſed ipſi quandoque antiqui, atque aurei ſeculi. vid. elegantiſſ. Broukhus. *ad Propert.* lib. II. Eleg.

leg. 16. Coripp. lib. II. ℣. 379:

Flere diu tantis lacrymis non paſſus, acerbis
Condoluit miſerans.

l. *Flere diu tantos lacrymis non paſſus acerbis,*
Condoluit miſerans.

Idem. lib. I. ℣. 252:

Cognatos famulos, & tantos linquis alumnos?

Ubi Ruizius perperam mutat. Vide ad eum locum Cunr. Rittershus. & *ad Gunther.* lib. IV. ℣. 373. adde Barth. *in Adverſar.* Havercamp. *ad Tertull. Apolog.* Cap. I. p. 8. 13. Claudian. l. I. *de laud. Stilic.* ℣. 170:

Arebant tantis epoti millibus amnes.

Iſcan. lib. VI. ℣. 627:

Hyblaeas ſi ſecter apes, tot vulnera, tantas
Haud tamen expediam caedes: numquam ante Machaon
Pluribus, aut tantis eguit Podalyrius herbis.

Pſeudo - Dictys *de Bello Troj.* lib. I. Cap. 6. *Non ſe ignorare ait, quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem incuteret.* Non audiendi, qui ibi *quantam* ſubſtituunt.

Eod. Cap. *In qua re media eſt fides, & Deus Chriſtus ejus, & querelae multorum, quibus in ipſa ſocietate hanc injuriam faciebat.* f. *&*

O 2 *Deus*

Deus Chriſtus, ejulatus, & querelae m. Aliter M. Caſaubonus, & Gronov. *in Script. Eccleſ.* p. 134.

Cap. IV. *Unde cum veſtrae partis Epiſcopis tunc invidia fieret: Taurino tunc Comiti ſcripſiſſe dicuntur, bujusmodi homines corrigi in Eccleſia non poſſe, mandaverunt, ut a ſupradicto Comite acciperent diſciplinam.* l. *hinc invidia fieret.* tum, *& mandaverunt, ut a ſ.*

Ibid. *Ex ipſo genere fuerant.* l. *ex iſto.*

Mox. *Ecce ex quali numero ſibi Epiſcopus alter Donatus cohortes effecerat.* l. *tali.* vel *effecerit.*

Ibid. *Sic admiſſum eſt, per quod invidiam unitati factam eſſe memoraſti: haec & cetera veſtra & ſuas cauſſas habent, & quas oſtendi perſonas obnoxias.* l. *haec & cetera tum geſta & ſ. c. h.* aut, *haec, ut cetera, veſtra, & ſuas c. h.*

Sub fin. *Oleum quoque a ſordidis & nonnullis male viventibus & immunda loquentibus conficitur.* l. *a ſordidis nonnullis & male v.*

Cap. VII. *Vindicavit (ut diximus) Moyſes, vindicavit Elias, vindicavit Phinees; & non vultis ut non vindicaverit Macarius.* Nullum haec ſenſum fundunt, & certiſſime ſunt deprata. Forte, *& vos vultis, ut non vind. M.* Aut dicendum, poſterius *non* ex priori male repetitum fuiſſe. Quo pacto centies peccatum Amanuenſibus. Ibid.

Ibid. *Quia contra juſſionem Dei, per quod falſi vates erant, Dei praecepta contemſerant.* l. *perque quod f. v. e.* aut, *& quod f. v. e.*

Cap. VIII. *Omnibus notum eſt, quid eorum operata ſit artificioſa crudelitas.* f. *carnificioſa cr.*

Ibid. *Qui non ſint vel ad ſacra ſacrilega provocati, vel ad immunda accenſa, vel ad negationem nominis Dei.* f. *vel abnegationem n. D.*

Ibid. *Cum id quod factum eſt, & Deus dixerit ſic futurum eſſe, & ejus ſunt vindicata praecepta: videte ne non ſolum vanum, ſed etiam ſuperſtitioſum ſit ſine bello mortuos ibi ponere, ubi ſunt, qui in Chriſtum confeſſi pro Dei nomine mori potuerunt.* l. *& ejus ſint v. pr.* tum, *mori voluerunt.*

In fine. *Si tanta res, ſi beatus Paulus, ſi vas electionis, quamvis in imperioſa virtute & Angelorum ſocietate, pronuntiat ſe nihil eſſe, niſi caritatem habuerit.* l. *ſi tantus vates, ſi b. P.*

Sequitur ſtatim. *Videte, an non dicantur martyres, ſed aliquid aliud adpellari mereantur, qui caritatis deſertores pro eadem deſertione pati aliquid potuerunt.* l. *videte, annè ii dicantur martyres, ſeu aliquid aliud adpellari mereantur.*

Cap. X. *Utique dixiſtis, pax vobiſcum.* l. *ubique d.*

Ibid. *Pluvia udatur, tempeſtatibus caeditur: nec poteſt arcere latronem, nec venientem probi-*

 bet

bet feritatem. Monente in Variantibus Lectionibus Du Pinio, plures Mſſ legunt, *venientem probibet furem.* Et ſic Balduinus, & alii ediderunt. Videtur autem ex gloſſa natum, ac ſcribendum, *nec venientem probibet furacitatem.*

Cap. XII. *Et ſi ſeductioni veſtrae paullo tardius fuerit accommodatus aſſenſus, etiam illa vobis argumenta non deſunt: quibus quaſi facile etiam nolentibus, quod vultis, ſuadere poſſitis,* l. *quibus quaſi faſcino, etiam nolentibus, quod vultis, ſ. p.*

Ibid. *Viſa eſt puritas, & ritu ſolito ſollemnis conſuetudo perſpecta eſt.* l. *viſa eſt pura veritas.* Paullo poſt, *ſimplici ac pura veritate firmati ſunt.* Atque ita ſolet Noſter antedicta repetere, & identidem illuſtrare.

In fine. *Perdidiſti quod ſapiens videris, dum ſenſus tuos invidia depravavit, & intelligendi tibi aditus clauſit.* ſ. *perdidiſti, quod ſapiens videres, dum ſ. t.*

Lib. IV. Cap. II. *Oramus pro vobis, quia volumus; & vos pro nobis, &. cum non vultis: aut dicat unusquisque veſtrum; pater meus qui in coelis,* &c. l. *ut dicat un. v.*

Cap. III. *Fabricaſti navem, ſtruxiſti funibus, ornaſti velis.* l. *inſtruxiſti funibus, armaſti velis.*

Cap. V. *Nullus veſtrum eſt, qui non convicia noſtra ſuis tractatibus miſceat.* ſ. *convicii plo-*

ploſtra. Veteres enim utroque ſcribebant modo, *ploſtrum*, & *plauſtrum.* Vulgata tamen tolerari poteſt. Nihil igitur ſtatuo. Conf. quae dixi lib. 1. p. 40. 41.

Ibid. *Ignorantes, de quibus Apostolus hoc dixerit; cum his nec cibum capere: ave illi ne dixeritis.* l. *cum his nec cibum capite: ave illis ne d.*

Ibid. *Horum est ſermo, qui habuit cancer ad fidei membra vexanda.* Forte, nam procul omni dubio haec ſe male habent, *horum est ſermo, qui valuit ut cancer.* aut, *qui arguitur cancer.*

Ibid. *Attendite post vos; peribit anima vestra; quamdiu vos tenetis?* l. *q. hos tenetis?*

Ibid. *Manifestum est igitur, vos contra nos quotidie ſcandala ponere: & longum est percurrere omnes modos, quibus nobis detrabitis, & omnia quibus ſcandala ponitis.* l. *ſed longum est percurrere omnes modos, quibus nobis detrabitis, & omnia nomina, quibus ſcandala ponitis.* Reſpexit forte Virgil. VI. *Aen.* 626:

——— *omnes ſcelerum comprendere formas,*
Omnia poenarum percurrere nomina poſſem.

Cap. VI. *Numquid de ſubducto vestimento, aut de involato gremio, aut de aliquibus rebus, quae ablatae vel lucra vel damna inter homines faciunt.* Aut ex Graeco vocabulo χρῆμα formavit *gremium*; aut legendum, *de involato praedio.* Sane ſequitur poſt pauca, *Poſſeſſio Dei, est turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus* cu-

cupit aliquid involare. Eſt autem *poſſeſſio* proprie rerum inmobilium ; ut ſunt praedia. vid. l. 1. D. *de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* Porro ſcribi poſſet, *de aliis aliquibus rebus.*

Ibid. *Chriſtiani aut Chriſtianae vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, & ſi non totum hominem, ſed quodcumque de homine rapere.* l. *corrumpere; & ſi non totum hominem, ſtudet quodcumque de h. r.*

Ibid. *Hoc eſt dicere, qui me excluſerat, excluſus eſt.* Gloſſatoris eſt *dicere.*

Lib. v. Cap. 1. *Jam de Baptiſmate hoc loco dicendum eſt: in qua re, quae nunc agitur, quaeſtio tota conſiſtit.* ſ. *in quare, quae nunc agitatur quaeſtio, tota conſiſtit.*

Ibid. *Et unam circumciſionem fuiſſe ad populum Judaeorum.* l. *apud pop. J.* aut, *ac p. J.*

Pergit. *Et cum haec initio dictionis tuae tractaveris, in proceſſu tractatus tui tamen horum immemor factus es, inducendo duas aquas, & de aqua vera & falſa dicturus, principium ſermonis tui inſipienter praeſtruens ordinaſti.* ſ. *inſipienter praeſtruens ordinem turbaſti.*

Ibid. *Sed ea pars corporis electa eſt, unde peritomen ſemel ablatum ſalutare in illis faceret ſignum.* ſ. *per peritomen.* Praeſentius remedium non ſuccurrit. Ceterum primaria & naturalis ratio, quam ob in circumciſione ea pars corporis ſit electa, ex qua viri dicimur, haeç eſt; quod cir-

circumciſio membri illius plurimum, maxime in Oriente, ad foecunditatem conferret. Etenim ἡ περιτομὴ injungebatur Abrahamo, & poſteris ejus, velut ſymbolum promiſſi divini, de multiplicando mirifice ejus ſemine. Signum igitur oportebat, ut cum re ſignata juſtam haberet convenientiam. Rationem hanc circumciſionis phyſicam obiter illuſtravi *Spec. Crit.* p. 63. 64. Qua tamen cauſſas alias ſpirituales, ſeu myſticas, neutiquam exclusas volo. Contra illae multo inde clarius eluceſcunt. Attende modo; & videbis.

Addit continenter. *Semel enim factum ſervat ſalutem: ſi iterum fiat, poteſt afferre perniciem: ſic & baptiſma Chriſtianorum, Trinitate confectum, confert gratiam: ſi repetatur, facit vitae jacturam.* l. *in Trinitate confectum.*

Ibid. *Si ita eſt, oſtende prius duas arcas etſi non ſimiles, & duas columbas diſpares diverſos ramos ore ſuo portantes.* l. *duas arcas, & ſibi non ſimiles.*

Cap. 11. *Audi; ſed prius eſt fatearis, quod omnes negare minime poteritis.* l. *prius iſtud fatearis.* Verum in Optato hac vice ſatis haeſimus. Jam & aliorum habenda eſt ratio.

CAPUT II.

Multa Sedulii emendantur, vel illuſtrantur. de Chriſtianis Poetis notantur pauca. Auctor epiſtolae ad Claudiam ſororem forſan gloſſemate liberatus. atque alia quaedam.

IN Coelii Sedulii *Paſchali Carmine*, poſt doctorum virorum labores, quae reſtant nonnulla, hoc capite perſequemur.

Prologi vſ. 3.

Pone ſupercilium, ſi te cognoſcis amicum;
Nec quaeras opus hic codicis artificis.

Poeta in perpetua a convivio eſt metaphora. Qui ergo hic *codici* locus? Facile equidem in antiquiori aliquo ſcriptore pertulerim talia. Non item in Sedulio, ac ſimilibus. Hi etenim, dum ubique acumen quaerunt, per ejusmodi ingenium oſtentare adamant. Ego ſane jurare auſim, numquam hanc ſcripturam a vate noſtro profectam fuiſſe; ſed reponendum, absque ulteriori mora,

Nec quaeras opus hic onychis artificis.

Maluiſſem vero, accuratiorem ſyllabae rationem habuiſſe Sedulium. Primam etenim in *onychis* produci nemo ignorat, niſi qui a Muſis alienus eſt prorſus. Interim ſolet ita Caelius quanti-

titatem frequenter negligere; exemplo aliorum Chriſtianorum. Putabant namque hi indecorum, & fatuum eſſe, veritatem divinam, aut hiſtorias ſacras metro, velut perpetuae legi, velle adſtringere; unde paſſim evenit, ut, invitis omnibus Gratiis, & Romano Apolline, merum anſeris ſtridorem dederint, ubi, ſi paullum ipſis attendere placuiſſet, mellitiſſimum oloris melos promere potuiſſent, ab ingenio nequaquam deſtituti, & facultate poetica inſtructi ſatis. Haec certe veriſſima atque unica eſt ratio, quare tantum diſcriminis inter ejusdem ſeculi ſcriptores continuo obſervare liceat. Quis enim, ſi ſerio agamus, Chriſtianorum Poetarum, vel Claudiano, vel Rutilio, ſua aetate comparari potuit? Hos, ubi inter ſe compoſueris, vere poetas, illos poetaſtros merito dixeris. Cauſſa tanti intervalli fuit argumenti disparitas, & ſeverior in poliendis verſibus cura. Hi, quod materiae deeſſe videbatur, ingenio ſupplere contendebant. Illi inſitam rerum ſuarum nobilitatem unice ſpectabant, ſecuri reliqua. Ceterum, ut eo redeamus, noſtram hanc in Sedulio emendationem magis adſtruunt, quae paullo habet inferius, & eadem in re:

Cerea gemmatis flaveſcunt mella caniſtris,
Collucentque ſuis aurea vaſa favis.

Quod ſi tamen alicui, nimium forte ſuperſtitioſo, religio videatur, contra metri ſanctionem tale quid recipere; neque illi nobiscum intercedet negotium. Quin potius, qua ſumus libera-

 li-

litate, aliud ipſi ſuppeditabimus remedium, quo ſuae inbecillitati conſulat. Legerit ergo,

Nec quaeras opus hic nobilis artificis.

Mihi, ſpero, licebit non eſſe tam δεισιδαίμονι. Sed videamus alia.

℣. 9.

Nobilium nitidis doctorum veſcère coenis,
Quorum multiplices nec numerantur opes.

Quorſum hic *doctorum* mentio? Aliud, credo, coena requirit; quae *coctoribus* magis inſtruetur, quam *doctis*, aut *doctoribus*. Niſi ſi qui eorum in culina forſan habitant. Verum poeta fuit Sedulius; non propheta hodiernorum temporum. Quamvis nec veteribus defuiſſe iſtiusmodi bellos homines, Petronius nobis, & Juvenalis, cumque iis alii fidem faciant. Quid jocari attinet? Nimirum plus quam jocoſa eſt lectio, quam hactenus vidimus. Eam igitur ſcriptori maxime ſerio cur non eximamus? At vix ſuccurrit quidpiam. Succurrit tamen:

Nobilium nitidis dominorum veſcere coenis.

Nobile ἕυρημα! & dignum vel Trimalcionis epulis.

Lib. 1. ℣. 80.

Ex quibus audaci perſtringere pauca relatu
Vix animis committo meis, ſylvamque patentem
In-

Ingrediens aliquos nitor contingere ramos:

Locum hunc, & fere ad verbum, Corippus expreſſit *Panegyr. in Anaſtaſium* ab init.

Inmenſam ſylvam laudum, vir juſte, tuarum
Adſpiciens, celſos nitor contingere ramos,
Grandiaque à ſummis decerpere poma racemis.

Vide ibi Dempſterum; &, qui recte illa ex Theocrito adumbrata notat, Barthium Commentar. *in Claudian.* lib. 1. *de laud. Stilic.* ℣. 22.

℣. 98.

Mactandumque Deo pater obtulit, at ſacer ipſam
Pro pueri jugulis aries mactatur ad aram.

l. *at ſacer iſtam.* Quo modo praecedenti capite Optatum quoque correxi.

℣. 107.

——————— *quia nemo retrorſum,*
Noxia contemti vitans diſcrimina mundi,
Adſpiciens ſalvandus erit; nec debet arator,
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Saepius hac comparatione uſi fuerunt auctores Chriſtiani. veluti Hieronymus Epiſt. 22. *de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium.* & Auctor, qui vulgo Sulpicius Severus dicitur, Epiſtolae 1. *ad Claudiam ſororem, de ultimo judicio*, Cap. 3.

Unum tamen, ſic ait, *moneo, ne transcurſa repetas, ne contemta deſideres, ne manum aratro inſerens retrorſum converſa reſpicias; quo utique, in te redeunte vitio, ordinem ſuum neceſſe eſt ſulcus amittat, nec ſane mercedem ſuam cultor accipiat*. Conf. Joann. Clericum. Fallor autem, aut illa, *in te redeunte vitio*, ex Gloſſatoris manu hanc ſibi poſſeſſionem vindicarunt. Vide enim, quam inepte prioribus cohaereant, & a ſequentibus omnino ſint aliena. Ultima, *nec ſane mercedem ſuam cultor accipiat*, arguunt intempeſtivam Juvenalis imitationem ex *Sat.* I. ℣. 42:

Accipiat ſane mercedem ſanguinis.

Lib. II. ℣. 119.

——— Furor eſt in rege cruento,
Non ratio: primosque necans vagitus & audens
Innumerum patrare nefas.

Sane *necare primos vagitus* inſolentiſſime dictum. neque ſimile exemplum novi. In Proſa habetur, *primis vagitibus inimicus*. Unde aliquando Chriſtophorus Cellarius, vir doctiſſimus, ſuſpicabatur legi poſſe, *primisque hoſtis vagitibus audet*. Cur non? *primisque ferox* (aut *ferus*) *vagitibus audet*. Id certe accedit multo propius. neque tamen eſt vera lectio. Scribendum enim,

——— primosque vetans vagitus, & audens
Innumerum patrare nefas.

Plu-

Pluralem *us* ut plurimum corripit Sedulius; nec adeo hanc ob cauſſam quidquam mutandum temere.

ỿ. 168.

Confeſtim patuere poli, ſanctusque columbae
Spiritus in ſpecie Chriſtum veſtivit honore.

f. *Chr. inveſtivit h.*

ỿ. 231.

Quin etiam celerem cupiens conferre ſalutem,
Orandi praecepta dedit; judexque benignus
Indulgenda peti breviter jubet, ut cito praeſtet.

Lego, *indexque benignus.* Qua de confuſione plura obſervavi lib. I. pag. 53.

ỿ. 278.

Donec cuncta brevem reddantur aduſque quadrantem.

An? *levem r. a. q.*

Lib. III. ỿ. 41.

——— *Ne flatus atrox laceraret iniqua*
Peſte homines, operiſque Dei vexaret honorem.

Plane, niſi me decipit opinio, inſulſe *vexari* dicitur honor alicujus. recte vero *commaculari;* vel ſimili verbo. Quare haud dubito legere, *operiſque Dei foedaret honorem.* ỿ.

℣. 112.

Adſer opem, lapſamque animam per membra refunde,
Qui totum praeſtare potes.

l. *qui totam pr. p.* aut, *qui votum pr. p.*

℣. 158.

Nec minus interea proprios jubet omnia poſſe
Diſcipulos, totisque ſimul virtutibus inplens.

l. *tot eosque ſ. virt. i.* Senſus exigit.

℣. 194.

Cui vocem lucemque tulit: triplicique furore
Saucia membra tenens, mutum quatiebat & orbum.

f. *ſaucia membra terens.*

℣. 277.

—— Anhelantem ſed ſpargens altius ignem
Cunctis lumen agit.

An? *lumen alit.*

vſ. 332.

Mens etenim vergens, altum petit altaque vergit:
Inferiorque gradus, quo vult deſcendere, ſurgit.

Ma-

Malo, *inferiorque gradu quo v.*

Lib. IV. vſ. 5.

Nil igitur ſummo de ſe ſperantibus umquam
Difficile eſt conferre Deo: cui prona facultas
Ardua planare, & curva in directa referre;
Et quidquid natura negat, ſe judice praeſtat.

Ut horum nexus evadat, legendum videtur:

Ut quidquid natura negat, ſe judice praeſtet.

ỳ. 53.

Ceu ſterilis truncus lignis aequabitur uſtis.

l. *lignis aeq. iſtis.* Id volunt praecedentia.

Lib. V. vſ. 8.

Clarifica, dixit, nomen tuum: magnaque coelo
Vox reſonans venit per nubila, clarificavi.

Beda in libro *de metrica ratione*, inter alios, & hunc priorem verſum adducit, quibus contra metrum peccatum fuerit; ſed ita:

Clarifica, dixit, nomen, cujus magnaque coelo.

Hinc legendum forte:

Clarifica dixit, nomen pius: m. c.

ỳ. 190.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

Q l. *col-*

l. *colligat*. Priora ſic jubent.

ỳ. 199.

Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.

Cellar. *An propter triplex regnum?* Immo vero deſignat S S. Trinitatem. conf. vſ. 401. ſeqq. Atque haec etiam hactenus.

CAPVT III.

Joannis Saresberienſis nonnulla leviter corriguntur.

Anteriorum Capitum prolixitatem hoc quodammodo temperabimus; in quo paucis tantum Joannis Saresberienſis locis, *de nugis curialium*, ſed obiter, & velut in tranſitu, levem faciemus medelam, alia daturi alibi.

Pag. 4. edit. Salmaſ. *Sed ſive vera, ſeu falſa ſunt, legentium uſibus inſeruere.* Scribe, *l. uſ. inſervire.*

Pag. 5. *Credo tamen ne videar contentione gaudere, & me officioſis fateor uſum eſſe mendaciis.* Lego, *cedo tamen, ne v.*

Pag. 6. *Inaequalitas autem voluminum, variis eſt occupationibus adſcribenda, quibus in curia ſic detractus ſum.* l. *diſtractus ſum.*

Pag.

Pag. 10. *Et ex quo ſuſpecta ſit omnibus gens foeda parricidiis, inceſtibus deteſtanda, inſignis fraude, nota perjuriis, bujus artificii, vel potius malificii*, (loquitur de venationis ſtudio) *praecepta congeſſit.* Longe elegantior ἀντιθέσις fuerit, ubi legas, *bujus artificii, vel potius carnificii.* pag. 11. fin. *Ad baec carnificium eorum artem exigit.* & pag. 20. *Equidem indignius eſt, ſi ab alterutro faſtigio ad venatoris carnificium vel ſordes prolabaris.* Amat autem Sare-berienſis oppoſitiones ejusmodi, ut plerique hujus aevi ſcriptores, qui in talibus regnare ſolent.

Pag. 14. *In quo poteras naturam arguere, niſi noſces quia deteriora ſemper proniora ſint ad rapinam.* Lege, *niſi noſceres, quia d.*

Pag. 17. *Ubi ſunt* (*inquit Propheta, aut ſi mavis, dum tamen in ſpiritu, notarius Prophetae*) *qui in avibus coeli ludunt.* Forte, *qui cum av. c. l.* Addit enim, *ac ſi tacita ſubjectione pronunciet eos, quorum vita jocus eſt, ſuis evanuiſſe cum avibus.*

Pag. 24. *Nonne ſatis improbata eſt cujusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnii bic eſt.* l. *ſic eſt.* Sed boni viri eſt promiſſis ſtare. Quare plura non addimus.

CAPUT IV.

Guntheriano Poemati plures abſterguntur maculae. Corippo data ſanitas. ferre i. e. auferre. argumenta librorum praeſenti ſemper tempore concipiuntur. Guntheri opus nonnemini ſuppoſitum videtur. dubiae Latinitatis notiones unius Guntheri auctoritate non ſunt civitate donandae. Lucano ſalus. & plura.

Nunc in Guntheri Poemate paullisper occupabimur; dum moratur vota noſtra celeberrimus Withofius.

Lib. I. vſ. 165.

Illa ſuis ſpecioſa locis; nos regia tantum
Geſta levi calamo quadam brevitate ſequemur.

Scribe, *illa ſuis ſpacioſa locis.* Qualiter & peccatum fuit lib. II. vſ. 336:

Parva quidem, ſed tuta novo, ſpecioſaque muro,
Et circumducti lato ſatis aggere valli.

l. *ſpacioſaque muro.* Contra vox *ſpecioſa*, quam hic bis ejecimus, ſemel reddenda eſt Corippo (modo tamen is ſit auctor. vid. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* lib.

lib. III. Cap. 3.) in *Periocha libri* I. num. 7. *Deſcriptio domus Juſtini, quam pretioſa viſu, & operoſo fuerit labore conſtructa * * * rit, ut ad Juſtini honorem quam propere convenirent.* Lege, *quam ſpecioſa viſu, & operoſo labore conſtructa fuerit, ut ad honorem Juſtini quam proxime conveniret.* In ipſo Opere lib. I. vſ. 101. ait Poeta:

Vel ſolis dicenda domus; gratiſſima viſu,
Et facie miranda loci.

ỳ. 434.

Majores fido poſſunt audiſſe relatu.

Legendum *majoris.* aut *majorum.* Vide praecedentia; & probabis alterutrum.

Lib. II. vſ. 503.

——— ——— ——— *Et clauſis hoſtibus omnes*
Aggreſſus, aditusque negant.

l. *egreſſus, ad. n.* Atque id etiam confirmant, quae praeceſſerunt.

Lib. III. vſ. 521.

Jura vetuſta feram, potius ſupplere paratus,
Quam minuiſſe bonis aliquid de moribus urbis.

Eruditiſſ. Withof. *Specim. Gunther.* pag. 91. ſeqq. corrigi jubet, *jura vetuſta teram.* Sed *feram* hic, ut millies aliis, eſt *auferam;* atque

 adeo

adeo longe melius. Reſpondet enim Fridericus legato Populi Romani, qui vſ. 448:

Ne conceſſa mihi priſcorum munere regum
Vel reſecare velis, vel tollere.

Quid notius illo? *omnia fert aetas:* Graecis *αιων παντα φερει.* aut quod J&ti *furtum* derivent a *ferendo*, i.e. auferendo. & infinita talia. Neque etiam haec ignorare potuit vir doctiſſimus; ſed aliis intentus.

Lib. IV. vſ. 96.

—— ——— Miſſis bellum committitur haſtis,
Et levibus jaculis, & quas pluit aura, ſagittis.

An? *& quas tulit ira ſagittis.* Elegans mehercle lectio! Virgil. I. *Aeneid.*

Jamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Quem locum infra quoque imitatus fuit lib. X. ỽ. 154. cum Sedulio lib. V. *Paſchal.* vſ. 286.

Lib. VI. vſ. 317.

—— —— Veſtras juſtis conqueſtibus aures
Pellere non timeo.

Scio, quod *pellere* heic per *pulſare* explicet Rittershuſius. Malim tamen, *aures vellere non timeo.*. Virgil. in *Eclog.* *Cynthius aurem vellit.* Peregrina iſta τυ *pellere* notio mihi nondum innotuit;

tuit; quamvis a Guntheri aetate haud admodum aliena.

Lib. VII. vſ. 73.

—— — Quod injuſſu Romani principis auſi
Ambiguis ſuſpecta dolis incoepta moverent.

Niſi in Rittershuſii editione (neque enim aliam mihi nanciſci licuit) typographus aberraverit; ſcribendum arbitrer, ***incoepta movere.***

ỿ. 249.

—— —— —— Neu mota lite vocatus
Cum telo veniat, lorica tutus habensque
Quo tantum rixae dirimat certamina fuſtem.

Forte, ***lorica nudus, b.***

ỿ. 530.

—— At hunc vaſto praecinxerat agger hiatu
Ad ſubitos belli ſtrepitus, captosque fragores.

Conr. Rittershuſius conjicit, *coeptoſque fr.* aut *creperosque f.* Plane puto ex genio Guntheri:

—— At hunc vaſto praecinxerat agger hiatu,
Ad ſubitos belli ſtrepitus factusque fragores.

In Argumento libri VIII. init.

Octavo Ligurum ſpeculatur providus urbem
Caeſar: & antiqui theatri procul adſpicit ar-
cem.

Ni-

Nihil in Carmine de theatro. Quid ſi? *antiqui quadri procul a.* aut, *antiqui lateris.* nempe a *later.* Ipſe Guntherus vſ. 25. hujus libri, *Quadris moles incognita ſaxis.*

vſ. 4. 5.

Inde fames, peſtisque ferox Ligurum urbe fremebat.
Guido Bladerenſis cauſſam, ſed pacis agebat.

Certiſſime haec depravata ſunt. Perpetuum enim eſt in hujusmodi librorum argumentis, (vulgari ita vocabulo adpellare liceat,) ut omnia in praeſenti tempore definiantur. Vide clariſſ. Withofii *Specimen Guntherianum.* Neſcio autem, an abſurde ſic legeremus:

Inde fames, peſtisque ferox Ligurum urbe frequentat:
Guido Bladerenſis cauſſam ſed pacis anhelat.

Quod ſi non verum, ſaltem veroſimile videri poſſit. Meliora tamen adferenti lubens cedam.

Lib. VIII. vſ. 150.

Arma movere lubet, nudamque laceſſere pugnam.

Pflugius, *timidamque l. p.* Malo, *crudamque laceſſere pugnam.* ut vſ. 519:

Aut ſpoliis nudas, aut ſanguine paſceret iras.

Le-

Lego, *aut ſp. crudat.* Licet explicare tentet Rittershuſius.

vſ. 213.

— — — dignumque favorem
Tam ſibi, quam ſociis, ea regni dona petentes.

An? *& regni d. p.* vel, *& regia d. p.*

vſ. 289.

Quis referat fletus, lacrymoſaque gaudia tantae
Plebis, & interna tactos pietate dolores.

Rittersh. divinabat, *tractos p. d.* Verius ego *tacitos.* Id quod egregie τῷ *interna* reſpondet.

vſ. 541.

— — Quidquid decreverit ille
Eſſe ratum mos eſt, & juris habere vigorem.

ſ. *eſſe ratum fas eſt.*

Argum. libri IX. princip.

Aere Placentinus Cremonenſes damnat: & inde
Caeſar Sardiniae fines Januamque tenebat.

Credo, *Januamque ſerenat.* Vide ſupra. Cum Rittershuſio legendum, *aere Placentinos Cremonenſis damnat.*

vſ. 4. 5.

Deficiunt Ligures: veniunt legata: Ligurque Victus erat, Papae ſua priſtina jura reponens.

Lege, nam abſona haec ſunt, & turpiter corrupta:

Deficiunt Ligures: veniunt legata: Ligurque Victus: Heros Papae ſuae priſtina jura reponens.

Victus autem hic idem eſt, ae convictus. In Poemate enim ait, primo defeciſſe Ligures; dein veniſſe ad Fridericum variorum regum legatos; tum legitimis edictis citatos fuiſſe Ligures; quumque non parerent, pro convictis reis habitos; adveniſſe exinde oratores Ro. Pontificis, magno verborum molimine Papae jura vindicantes; quibus contra priſtina ſua jura repoſuiſſe Imperatorem, ſingulasque eorum criminationes argutis verbis extenuaſſe, & oratione docta diſſolviſſe.

Argum. libri x. vſ. 3.

—— —— —— *Et Crema gemiſcit.*

l. *tremiſcit.* ℣. 134. h. libri:

Tendit ad obſeſſae trepidantia moenia Cremae.

Ubi vide, quae ſequuntur.

℣. 5.

Hinc redit ad Ligures victor, Papamque creavit.

Quis-

Quiſquis es, qui verum amas, hoc pacto mecum ſcribe:

Hinc redit ad Ligures, Victor Papa atque creatur.

Infra, hoc ipſo libro, vſ. 124:

Altera pars ſacra, Octavi, te ſede locatum,
Auſpiciis decepta ſuis, ignara ſuperni
Judicii, falſo Victorem nomine dixit.

Lib. x. ℣. 27.

—— Inque duas diviſo milite partes,
Hanc ſecum Ligurum vaſtandos duxit in agros.
Aſt aliis magnae confoederat arma Cremonae.

Ritterſhuſius, qui & vulgo *alius* addit legi nullo ſenſu, conjectabat *alii*; ſcilicet *parti*. Quod autem doctiſſ. Pithoeus pro *confoederat* ſcribendum putet, *conſederat*; id quale ſit, ſe inquit non poſſe adſequi. Id quod facile credo. Sed nec tam ſtupidus erat Pithoeus, ut *conſederat arma* Latine dici umquam in animum induceret. Quin haud dubie ille legendum cenſuit:

Aſt aliis magnae conſederat arva Cremonae.

Virgil. lib. IV. *Aen.* 39:

Non venit in mentem, quorum conſederis arvis?

℣. 340.

—— —— cavis pluit aura ſagittis

 De-

Deſuper. l. *gravis p. a.* Nam addit, *& toto funduntur ab aethere mortes.*

℣. 571.

Atque figuratam late ſe rege monetam.

An? *laeto ſe r. m.* Aut aemulatus fuit Virgil. 1. *Aen.* *Hinc populum late regem.* Et ad Guntherum tantum. Ceterum in *Parergis Gottingenſibus* To. 1. lib. 3. pag. 149. ſeqq. erudita habetur viri clariſſimi diſſertatio, qua demonſtrare nititur, totum hoc Guntheri opus ſuppoſititium eſſe, & ſeriori adſcribendum aetati. Neque etiam, ut verum fatear, quae ibi disputantur, omni mihi colore videntur deſtituta. Aegre tamen ſuſtineo adfirmare quidpiam, motus diſſenſu maximorum virorum. Mirari vero ſubit hac occaſione judicium docti Juvenis, qui *Animadverſion. ad Muſaeum* p. 209. probaturus, *ſidera* ſimpliciter pro ſole dici, ex unico Guntheri loco, eoque valde ambiguo, ſibi ſubſidium quaeſivit; ut inde oſtenderet, nihil in Lucani lib. 1. vſ. 15. mutandum eſſe; quod eleganti viro, qui Burmannus eſt, in *Obſerv. Miſc.* viſum fuerat. Enim vero tanti ego Guntheri auctoritatem numquam habui, ut, ad vocis alicujus Latinitatem, dnbiam alioqui, adſtruendam, ſufficiens ex eo hauriri poſſit probatio; praeſertim ubi alia teſtimonia prorſus deficiant. Quid autem vetat Lucanum corrigere, dum in hoc ſumus? En tibi, ſi ita lubet, genuinam Poetae manum!

Unde venit Titan, nec non ubi ſidera condit.

CA-

CAPUT V.

In Severi Sancti, ſeu Endeleichi carmine de mortibus boum caſtigantur pauca.

Pulcerrimum eſt Severi Sancti, ſive Endeleichi, carmen *de mortibus boum*; dignumque adeo, cui per nos eximantur naevi, qui hactenus in eo, ſed pauci, ſuperſunt.

℣. 21.

Haec jam dira lues ſerpere dicitur.
Pridem Pannonios, Illyricos quoque
Et Belgas graviter ſtravit; & inpio
Curſu nos quoque nunc petit.

Quia praeceſſit vſ. 20, *Curſus tam citus eſt malis*, hic malim, *& inpio Morſu nos quoque nunc petit?*

℣. 33.

Plauſtris ſubdideram fortia corpora
Lectorum, ſtudio quo potui, boum;
Quis mentis geminae conſona tinnulo
Concentu crepitacula.

Celeberr. Heumann. *in Supplem. ad Acta Erudit.* To. VIII. pag. 218. *quis frontes geminae.* Legendum, niſi fallor, *quis mentes geminae, conſ. t.*

℣. 43.

Sulcos perfacilis ſtiva tetenderat;
Nusquam vomer inbaeſerat.

l. *ſulcos per faciles ſ. t.* Sic demum ſenſus adparebit; qui nullus alias.

vſ. 111.

Sic vero Deus hoc nomine praepotens
Salvator vocitatus eſt.

Inepte, quum duo loquantur, quaſi unius ruſtici verba haec connectuntur. Quam autem obvia emendatio!

BUC. Sic vero? TIT. Deus hoc (vel *hic*) *numine praepotens*
Salvator vocitatus eſt.

vſ. 127.

Non longam pariter congredimur viam,
Chriſti & numina noſcimus.

Forte, *Chriſti & numina poſcimus.* Virgil. IV. *Aen.* 50. *Tu modo poſce Deos veniam.*

CA-

CAPUT VI.

Magna errorum ſeges Joſepho Iſcano eximitur. idem ſaepius lucem accipit. deferre. nuda mulier, quae ſine marito. ſynaereſis in multis auctorum locis obſervatur. commiſſi olim in Corippo erroris deprecatio. idem obiter vindicatus. Jovem tetraſyllabum. fulmen. verſus rotunditate, & ſententiae pondere inſignes. Virgilio ſuum redditur, & Lucano; nec non Pedoni Albinovano bis forſitan. hiatus in verſu frequens apud optimos Poetas. Silius Italicus & Julius Exuperantius reſtituti, multaque alia breviter notata.

Meretur cultiſſimus Poeta, Joſephus Iſcanus, ut & ipſe experiatur benevolentiam noſtram.

Lib. 1. *de B. Trojano* vſ. 63. legimus:

Aeſonides primus undas aſſumpſit in uſus.

Scribe *primos.*

vſ. 68.

Pars invita ratem, pars famae prona petendae;
Pars mundum viſura novum, genteſque remotas.

Le-

Lego, *pars invita tamen.* Quod nemini, credo, inprobabitur.

vſ. 79.

> *Prima inopem pinus cultum quo ſtabat in Haemo*
> *Detulit in fures: auctor ratis Argus.*

Qui hic *fures* repoſuit, ſuam Iſcano ſuffuratus fuit ſcripturam. Eam vero cur non vindicatum eamus hoc modo? *Detulit in fluctus.* Firmat ipſe evidenter lib. IV. vſ. 290:

> —— —— *Cervix alios defixa fatigat*
> *In fluctus latura rates.*

De verbi autem *deferre* ſignificatione vide Heinſ. & Burmann. *ad Valer. Flacc.* lib. I. vſ. 122:

> *Fervere cuncta virum coetu, ſimul undique cernit*
> *Delatum nemus.*

vſ. 83.

> *Stat dubius novus hoſpes aqua: reditumque fugamque*
> *Ludentis pelagi miratur.* Forte, *ſtat dubia n. h. aqua.* Aut, *dubiis n. h. aquis.*

vſ. 88.

> *Quo populos in fata trahis? tene angue, vel armis*

Pa-

Digitized by Google

Patrandum faſtidit opus? ſcio, taedia tollis,
Delicias leti quaeris.

Confer ad haec Propert. lib. III. Eleg. 6.

℣. 196.

Si parcus meminiſſe velim, vel nolle fateri,
Vel ſeriem non noſſe putent. l. *puter.*

℣. 231.

Quae pacem, quae fulmen habet, quae prima tyrannis
Imperium partita tribus, conceſſit, abegit,
Mutato luſit coelo.

Legendum, vel me ludunt omnia,

Imperium partita tribus conceſſit, abegit
Mutato luſis coelo.

Adde ſequentia; nec dubitabis.

℣. 251.

—— —— —— —— *Comtos diſcreta clientes*
Cura agit: hi Cererem cumulant: hi fercula mutant:
Illi hilares iterant calices.

Manifeſta Virgilii imitatio ex lib. I. *Aeneid.* vſ. 705. ſeqq.

℣. 266.

Barbaricis ceſſi, non viſo milite, juſſus.

Lege *juſſis.* ut ſenſus clamat.

ỷ. 512.

Ebria vitis habet, & dedignata latere
Canicolam poſcit Phoebum.

Canicola Phoebus nemini vel fando innotuit. Ad marginem primae editionis Albani Torini habetur *canocolam.* Dreſemius corrigit, *coeli oculum*, vel *coelicolam.* Quanto ego meliori omine, *Campicolam poſcit Phoebum.*

Argum. libri II. vſ. ult.

An Venus, an Juno, vicitve Minerva decore.

l. *vicitne M. d.*

Lib. II. vſ. 52.

Haeccine poſt tantos mihi debita pompa labores?
Sic metui tibi Troja dari. An? *ſic merui.*

ỷ. 336.

Si gena, ſi generis auctor, ſi denique mores
Quaerendi, in curis regnat pudor.

To *curis* hic mera eſt incuria. Lege, *in cunis regnat pudor.*

ỷ. 416.

— *Heu*

— — — — *Heu rara ſecuris*
Aurea, rarus amor morum.

Securis illa totam hanc truncat ſententiam. Dreſemius quidem varia comminiſcitur; ſed commenta tantum; quibus nec ipſe fidit. Si mei res foret arbitrii, reſcriberem, *heu rara ſecuti aurea!*

vſ. 473.

Flos juvenum, ſpes noſtra Paris, non vexo locutas,
Non incuſo deas. ſ. *non taxo l.*

Argum. libri III.

Et duo nimboſo merguntur in aequore fratres
Tyndaridae, tumido extendunt in gurgite palmas.

l. *& tumido ext.* Aut, *tumido & tendunt.*

Lib. III. vſ. 122.

— *An lapſa eſt nondum vetus? indice queſtu*
Non opus eſt, ubi regna dolos & bella loquuntur.

An? *ubi ſigna dolos & geſta loquuntur.*

vſ. 129.

Si juvat invito mentes abſolvere queſtu,
Armata de curru diu fortuna ſequenda eſt.

Lego, *armata decurre ſinu.* Aut, *arma para, de-*

decurre ſinu. Alia multa hariolatur Dreſemius; qui ſibi tamen non placet; nec mihi.

vſ. 139.

O falli facilis. l. *faciles.*

vſ. 181.

Haud mora, ſuccinctos Nabathaeos agmine ducens
Hector in arma Phryges: comites per caerula fratri
Ire jubet.

Aut ſic interpungendum: *Nabathaeos agmine ducens Hector in arma, Phryges c. per c.* Aut legendum, *Nab. a. d. Hector in arma Phrygis, c. p. c.*

vſ. 196.

—— —— —— — Sic format iturum,
Venturosque Phryges, accepto interprete, ſpondet.

Puto, *ſic firmat iturum.*

vſ. 252.

—— —— —— — Quin ipſa rapinis
Blanditur fortuna tuis, urbs, aura, Lacaena
Nuda, favens, facilis.

Forſan, *tuta, f. f.* Niſi *nuda* ſit ſine marito. Menelaus enim aberat. Unde

—— He-

— — — *Helene, ne ſola jaceret,*
Uſa eſt humani commoditate viri.

Sic alibi Iſcanus *nudum* exercitum dixit, ductore ſuo deſtitutum.

vſ. 263.

——— *Indulgetque aditus in vota ſecundos*
Pollicito majore Venus. ſ. *majora.*

vſ. 293.

Numquam rapta fugis: nunc non Lilybaea vorago,
Latratus Siculi, Libycus tenor, &c.

l. *nunc, nunc Lilybaea vorago.*

vſ. 340.

Clareſcunt vultus, rugas rareſcere ſentit
Infelix animi morbus dolor: improba paullum
Cedit hyems mentis, voto dura angere ſperat,
Reddendam Heſionen, Helenam ſi reddat Achivis.

Quae ad horum interpretationem obſervat vir eruditiſſ. Samuel Dreſemius, ſubtilius videntur excogitata, quam verius. Ego ſic ordinanda arbitror:

Clareſcunt vultus, rugas rareſcere ſentit,
Infelix animi morbus dolor, improba paullum
Cedit hyems mentis, voto dura annuere; ſperat
Reddendam Heſionen, Helenam ſi reddat Achivis.

 Illa

Illa *voto dura annuere* ſunt ad *hyemem mentis* referenda, quae continuo Priami votis adverſabatur, dura illis annuere. Verbum autem *annuere* hic diſſyllabum. Qualis ſynaereſis Iſcano non infrequens, & aliis. Sic lib. II. vſ. 96:

Arteriae, non artis opem, non carmina nervi.

Ubi vide Dreſemium, & omnino ad lib. VI. vſ. 384. Ita etiam lib. IV. vſ. 246. legendum reor:

— *Prior Aeacides lictoribus aras*
Imbuit, & has donis tandem ſollemnibus emtas.

Vulgo, *ambit & has.* Unde jam ad marginem correxerat Albanus Torinus, *imbuit, & donis.* deleto *has.* quod videtur mihi ſervari poſſe; ſi in τῷ *imbuit* συνιζησις admittatur. Conferri de his & ſimilibus poſſunt quae habet plura Munckerus Diſſert. *de Hygini aetate & ſtylo* pag. ſi numeres, 4. 5. ed. doctiſſ. van Staveren. Cellar. *ad Sedul.* lib. II. vſ. 275. Faern. *ad Terent. Andr.* Act. I. Sc. I. vſ. 25. & alibi. Ipſe quoque hanc in rem notavi pauca in ſcripto ludicro, cui titulum feci, *Mercurii Stygii Iter Subterraneum*: quod utinam numquam mihi expreſſiſſet quorumdam inportuna temeritas! vide ibi pag. 22. Auctor carminis *de Phoenice*, qui Lactantius dicitur, vſ. 28:

Duodecies undis irrigat omne nemus.

Paulinus *Nat.* XI. (apud celeberr. Murator. To. I. *Anecdot.*) vſ. 85:

Mar-

Marcus Alexandria tibi datus, ut bove pulſo.

Propert. lib. IV. Eleg. 7:

Eosdem habuit ſecum, quibus eſt elata capillos,
Eosdem oculos, lateri veſtis aduſta fuit.

Alcimus Avit. l. VI. *Poemat.* vſ. 191:

Coeleſti lavacro tenerum mors invida natum
Praeripiat, dura generatum ſorte gebennae.

Ubi in *lavacro* duae literae *a* & *v* ſunt elidendae, ut caeſura conſtet. Sine exemplo, quantum novi. Coripp. lib. III. vſ. 242:

Horreſcunt lanceas, ſaevasque inſtare ſecures.

Quo loco fruſtra emendationem tentat Dempſterus. Simile quid in ejusdem Corippi lib. I. vſ. 8. admiſſum credebam *Spec. Crit.* pag. 14. Sed luſit me Dempſteri editio, quae integrum verſum omiſit. Eam vero dum ſolam conſulo, in ſcirpo, quod ajunt, nodum quaeſivi, & magno conatu magnas egi nugas. Excuſabit, ſpero, inprudentiam noſtram aliena negligentia. Nunc pergamus.

vſ. 406.

Quodque pati potuere, gemunt: hinc omnibus idem,
Idem animus — — —

Il-

Illud *hinc* procul hinc faceſſat, ſi me audis. Quorſum enim reſpicit? quid indicabit? Legendum utique, ridentibus Gratiis, *timor omnibus idem.*

vſ. 425.

— — — ſic culmen berile
Imperii juſſit, ſtatuit conſulta poteſtas.

f. *culmen berilis imperii.*

vſ. 455.

Deſine Cecropii funeſta licentia pagi
Inceſtos generare Deos: non fabula coelum,
Sed virtus non ficta dabit.

An? *virtus non victa d.* Conf. Sedul. lib. 1. vſ. 24. ſeqq.

Lib. IV. vſ. 61.

Troilus in ſpatium ſurgentes explicat artus,
Mente Gigas, aetate puer.

Strabus *de vita Mammae Monachi*:

Moribus aetatem, ſenſu tener extulit annos,
Carne puer, ſed corde ſenex.

Gunther. lib. 1. *Ligur.* vſ. 286:

Mente ſenex, aetate puer.

Porro in hoc Poetae noſtri Trojanorum ducum
&

& Graecorum catalogo, ſub *incerti auctoris* nomine, nonnulla emendavit vir ampliſſ. Janus Rutgerſius lib. v. *Var. Lection.* Cap. ult.

℣. 85.

Forma, modus, pietas, ſenſus, pudor, auxilius ornant
Andromachen. l. *forma, motus, p.*

℣. 116.

Vox teneris diſcincta jocis, mens ardua, fuſi
Artus, Locrenſis titulos Ajacis opimant.

Sane jocoſum eſt τὸ *jocis*, & plus quam ridiculum. Quid ſi ſcribatur? *vox teneris diſtincta notis.* aut *ſonis.* aut *modis.* Sed malim prius. Apud Dreſemium ſphalmate typographico *vocis* legitur; ut ſcatet haec editio innumeris mendis, quaeque paſſim ſenſum turbant.

℣. 122.

Dux Ithacus prudens conſultum pendere.

Forte, *c. pandere.* Neque tamen ſpernendum plane, quod hactenus viſimus.

℣. 146.

Caeſaries ceu ruffa jacens, patientia ſupplex,
Vis temere auſa nihil, pietas Machaona pingunt.

Forte, *vi temere auſa nihil pietas M. p.*

ỳ. 154.

Iudicio pejore virens, & mentis anhelas:
Accuſant furias flammati incendia crinis.

Poſt *anhelas* tollenda interpunctio. aut legamus oportebit, *& mentis anhelans.*

ỳ. 174.

Pars oris teſtatur bonos; at plenius hauris
Sidereum Ledea Jovem.

Legendum *par* notat Dreſemius. Atque ita jam in Torini Editione. Obſervari autem hic velim τo *Jovem* tetraſyllabum. Eſt enim *Ledea* in auferendi caſu poſitum. Quod ſententia indicat.

ỳ. 211.

Cum tandem licitos poſcebant bella meatus,
Et juſſas libare vias. f. *juſtas.*

ỳ. 219.

——— —— *Haerent ſuſpenſis agmina bellis.*

l. *ſuſpenſis a. pilis.* Horat. II. *Sermon.* I. ỳ. 14: *Horrentia pilis agmina.*

ỳ. 248.

Vincitis ultores Danai, grave Marte biluſtri
Haeret opus, decimum ſequitur victoria bellum.

l. *decimam ſequitur victoria meſſem.*

ỳ.

vſ. 261.

Ultrices diſpone acies: tibi bellica caedet
Turba manu. l. *cedet.*

vſ. 330.

Haec Paros, haec Naxos: ſic cuncta roganti-
bus heros
Explicat, agnoſcens veteris veſtigia curſus.

Sequitur Virgil. lib. III. *Aeneid.* vſ. 690:

Talia monſtrabat relegens errata retrorſum
Litora Achaemenides, comes infelicis Ulyſſi.

vſ. 404.

Sufficiat cecidiſſe ſemel: tua fulmina paſſus
Alterius non mortis eget.

Vir clariſſ. Jo. Arntzenius *ad Aurel. Victor.* Cap. 39. *Viror. Illuſtr.* corrigit, *tua vulnera paſſus.* Pro recepta facit hoc libri VI. vſ. 295:

— *Faxo igitur, poſt fulmina Dardana di-*
ſcant,
Utilius latuiſſe domi.

Corippus lib. III. vſ. 342:

Horruit exſtinctas inopino fulmine turmas.

vſ. 485.

——— —— ——— —— —— *Pallere videret*
Ora, genas, aurumque mori.

Qua hic forma *aurum* dicatur *mori*, ego equidem non capio. Scripſerat, puto, Iſcanus, *ora, genas, aevumque mori.* aut, *o. g. artusque m.* aut denique, *o. g. totumque m.* Dijudicent eruditi.

vſ. 490.

Quod fatum, quae cauſſa, patentque hoc ſingula ſcripto.

Legendum, *patent hoc ſ. ſcr.* ſublato *que.* quod ab infelici manu.

Lib. v. vſ. 3.

Exarmata quies facilem ſpondebat ituris
Portum, ſuadebatque dolos dux ipſe Pelasgis,
Nocturnum diſponit iter.

Interpunge haec, ut ſenſum capiant, hoc modo:

—— *ſuadebatque dolos; dux ipſe Pelasgis*
Nocturnum diſponit iter.

vſ. 24.

Qui pede, qui curſu fidit, ut claſſe mereri
Promtior, agnoſci petit.

Dreſemius, *vel claſſe m.* Lego, *aut*, vel *& cl.*

cl. m. Nec offendet quempiam in *fidit* producta ultima, qui ſemel Iſcanum legerit fugiente oculo.

vſ. 421.

> *Indoluit Phoebus, celereſque immerſit habenas*
> *Moeſtior, & ſubitis conterruit agmina bellis.*

l. *& dubiis cont. a. bellis.*

vſ. 484.

> —— *Non ille quidem certamine tanto*
> *Tentaſſet conferre viro, ſed Juno negantem*
> *Sollicitat, ſtimulat Pallas.*

l. *tentat ſe conferre viro; ſed J. n.*

Argum. libri VI.

> *Troilus & ſequitur Palameden, Memnona Achilles,*
> *Et Paris. urbs capitur. Priamus rex mittitur umbris.*

l. *Hunc Paris.* Quam frequenter & facile in verſus initialibus literis aberrare potuerint ſtupidi ſcribae, pluribus exſecutus fuit eruditiſſ. Withofius *in Spec. Gunther.*

vſ. 161.

> *Poſtera vix umbras lux ſolverat, undique in iras*

 Sur-

Surgunt, armatoque acclivia tela cubili
Corripiunt: pars in clypeos cervice recepta.

Recte celeb. Oudendorp. *ad Lucan.* Lib. II. vſ. 356. emendandum monuit, *acclinia tela c.* Et ſic jam in prima Torini editione. Pro *cervice recepta*, quod nihili eſt, lego, *cervice reflexa.* aut *c. rejecta.*

vſ. 169.

—— *Inſtant, cedunt, minitantur & horrent.*

Iſcani, & hujus aevi genius mihi ſuadet legere, *minitantur, inhorrent.*

vſ. 184.

Parcite, nil miſerans ſurdi rota praeterit axis.

Volebam *perterit.* Sed melius *in Spec. Gunth.* ſubſtituit *proterit* cl. Withofius.

vſ. 200.

Inflictis gaudet jaculis, & morte ſuperbit.

l. *infixis g. j.*

vſ. 225.

—— *At glandiflua praeventus habena*
Occidit. l. *grandiflua.*

vſ. 241:

Ma-

Mactat Achonta Pholus, Pholon Ebalus, Ebalon Actor,
Actora Thyodamas, & Thyodamanta Lycaeus.

Elegans carminum genus, & paucis in verbis magnum ſententiae pondus! vide infra vſ. 494. ſeqq. Talia habentur & *in Catalectis veterum Poetarum*, a Joſepho Scaligero editis; quae brevi auctiora ſperamus, per clariſſimum virum, Petrum Burmannum Juniorem.

vſ. 254.

Fervidus Umbraſides, hinc nudo Troilus enſe
Diſputat. l. *hunc n. Tr. e. d.*

vſ. 261.

—— —— —— —— *Trahitur retinentibus ille*
Scanſilibus, potoque perit in ſanguine merſus.

Vide, quae hic Dreſemius. Sed adde latius eadem de re diſputantem Gisbertum Cuperum, magnum Gelriae noſtrae decus, in animadverſionibus ad Lactantii (ut vulgo creditur) libellum *de mortibus Perſecutorum.* An pro *potoque* legendum *proprioque?* Sic puto.

vſ. 312.

Invenit indignans vulnus ſine funere cuſpis.

Forte, *vulnus ſine vulnere c.* De quo loquendi genere multa alibi habet Dreſemius ad noſtri Poematium. Conf. notas *ad Coripp.* lib. IV. vſ. 96. Gunther. lib. I. vſ. 703: *Ci-*

Civibus expulſis injuſto jure tenebant.

vſ. 410.

Huc Hecuba, in facinus audax, invitat Achillem,
Conjugii factura fidem.

l. *c. pactura fidem.* Geminus error apud Virgil. IV. *Aeneid.* vſ. 109:

Si modo, quod memoras, factum fortuna ſequatur.

Legendum *pactum*, ex veriſſima clariſſ. Joannis Arntzenii conjectura; quam olim nobis praeire memini virum optimum, dum ab ore ejus penderemus.

vſ. 469.

Sic ſi deſtituat ſuperum pater, orba querantur
Sidera, & ignoto contendant funera fletu.

Malo, *ignoto contendant numina fletu.* Ovidius lib. II. *Metamorph.* de Apolline Coronida lugente:

Tum vero gemitus (neque enim coeleſtia tangi
Ora licet lacrymis) alto de corde petitos
Edidit. — — — — —

vſ. 481.

Quas remo laſſavit aquas, quos legerit olim
Por-

Portus, quae freta. l. *laſſarit.*

℣. 509.

—— Tandem Cortinia tela reſumens,
Hic quia certa manus, & numquam ſurda volenti.

l. *bis quia c. m.*

℣. 553.

Tydides, quamvis fractos, & in ipſa fugatos,
Moenia, turbat Adis hoſtes, clauſosque laceſſit.

Nihil his, ut nunc leguntur, inſulſius. Utere, ſodes, judicio meo; atque ita ſcribe:

Tydides, quamvis fractos, & in ipſa fugatos
Moenia, turbat, agit hoſtes, clauſosque laceſſit.

℣. 605.

Cum pavidae, & nullis uſae Pelopeides armis,
Femineas audire tubas: at frigore neſcit
Nativo geminum crudeſcere vulgus, & axem
Sarmaticum generare animis gentilibus iram.

Commode huc Dreſemius adduxit Lucani verba e lib. VIII. vſ. 363. Quae non gravabor denuo adſcribere, ut ſimul emendatiora evadant. Sunt autem:

Omnis, in Arctois, populus, quicumque pruinis

Naſcitur, indomitus bellis, & Martis amator.
Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia coeli.

Mirum, neminem haec corrupta animadvertiſſe. Vide, quanti interſit legere:

——— *emollit geniti clementia coeli.*

Pulcerrime. Ita me Muſae!

ỿ. 648.

——— ——— ——— ——— *Sic imperioſa virago*
Digladiata ruit: tanta eſt reverentia ſexus,
Sidoneas in crura togas, ſinuoſaque texta
Colligit, & multum fatis irata fatiſcit.

l. *tamen eſt reverentia ſexus.* aut, *manet aſt r. ſ.* Ovid. lib. XIII. *Metam.* de Polyxena:

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, caſtique decus ſervare pudoris.

Paria de Lucretia habet *in Faſtis*; quo loco, nunc non memini. Sueton. *Jul. Caeſ.* Cap. 82. *Simul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Ubi video in notis citata quoque Ovidii verba ex lib. II. *Faſt.* v. 833. Adi ibi.

ỿ. 698.

Ergo dolis ceſſare dolos, & tollere fraudem
Fraude parat, formatque artes hoc ordine ductor.

l. *er-*

l. *ergo dolis caſſare dolos.*

ÿ. 800.

—— Ipſe tamen membrorum pondere ferrum
Permiſſus cecidiſſe juvat, tandemque dierum
Plenus obit, felix ſenio, laetusque juventa.

f. *ferrum permenſus c. j.* Ex parte autem imitatus fuit Corippum lib. 1. vſ. 143:

Nunc idem genitor laetus, plenusque dierum,
Funere felici coeleſtia regna petivit.

ÿ. 841.

Haec uteri foetura mei, nec ſolvit hiatum
Terra vorax? peſte hac timui.

l. *peſte hac tumui.*

ÿ. 913.

Heu miſerae, quid ſacra, (inquit,) quid vota tot annis
Deplorata juvant, ſervataque jura maritis?
Et numquam temerata fides?

Pedo Albinovanus, aut quisquis auctor Elegiae *de morte Druſi, ad Liviam*, vſ. 41. ſeqq:

Quid tibi nunc mores proſunt, actumque pudice
Omne aevum, & tanto tam placuiſſe viro?
Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum?
Ultima ſit laudes inter ut illa tuas?

 Re-

Rectius opinor, legeretur:

Quidque pudicitia auctu cumulata bonorum.

Frequentes in optimis Poetis hiatus ejusmodi. Vide notata viris doctis *ad Sil. Italic.* lib. 1. vſ. 109. Licet ibi malim, *Haec tua ſit laus, nate, velint*, (fata nimirum,) quam Nic. Heinſii *velim* admiſiſſe. Inſpice tu Silium; nec aliter ſenties. Sed &, ſi quis hoc magis praeferret, apud Albinovanum ſic poſſet reſcribi:

Quidque pudicitia haec auctu cumulata bonorum.

Nihil tamen adfirmo. Certius, puto, reſtituemus alium Pedonis locum, deſperatum hactenus, in eadem hac Elegia vſ. 103:

Te queritur caſusque malos, irriſaque tales,
Accuſatque annos, ut diuturna, ſuos.

Me ſponſore tuto leges:

Te queritur, caſuſque malos, irataque fatis
Accuſat annos, ut diuturna, ſuos.

Joſephus noſter in hoc libro vſ. 651. de Pentheſilea:

—— —— *Et multum fatis irata fatiſcit.*

Theodori Goralli, ſive Joannis Clerici, *atque exitiales*, prorſus exitiale eſt, ac merito exploditur. Vid. Burmannus in notis. Literam vero

ro *t* paſſim ante vocalem produci, apud Virgilium, Ovidium, & alios, dudum obſervatum fuit eruditis. Cave ergo, ut inde quid metuas. Ex priori verſu *que* inepte repetiit ſciolus. Nemo dubitabit, qui cor habet.

℣. 920.

Imperet indignis pellex regina puellis.

l. *indigenis*. Idem vitium in hunc uſque diem inſedit Julio Exuperantio *de Bello Civ.* Cap. 3. *Sed haec lex injurioſa erat in veteres cives, qui meritum dignitatis videbantur amittere, ſi cum novis indignis in ſuffragio ferendo jungerentur.* l. *cum novis indigenis.* Pro *pellex regina*, ſcribendum forte, *p. peregrina.*

℣. 961.

Vive liber, liberque vige, ſed ſi qua nocebunt,
Diſce libens livore nibil ſublimius eſſe.

Caſpar Barthius *in Adverſar.* legit, *nibil ſublimius iſſe.* Eleganti quidem conjectura; neque tamen admodum neceſſaria. Atque in his ſic ſatis morati fuimus. Nunc valedicamus Iſcano noſtro, & boni viri molliter oſſa cubent.

CAPUT VII.

In Joannis Caſſiani de inſtitutis caenobiorum libris emaculantur quaedam. de Salomonis ſapientia brevis animadverſio, a vulgari opinione disſidens.

Breviores erimus in hoc capite, ad quaedam Joannis Caſſiani loca, *de inſtitutis coenobiorum*, paucula notantes. Doctus hic ſcriptor, & ad multa non utilis tantum, ſed propemodum neceſſarius. Non eſt ergo, cur a quopiam negligatur, quamvis alicubi horridior paullo, ex ſeculo nimirum ſuo, & gente, qua oriundus fuit.

Praefat. *Veteris inſtrumenti narrat hiſtoria, ſapientiſſimum Salomonem poſt acceptam divinitus ſapientiam, prudentiamque multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam maris innumerabilem; ita ut Domini teſtimonio nullus ei ſimilis retroactis temporibus exſtitiſſe, neque poſt eum ſurrecturus eſſe dicatur, illud magnificum Domino templum exſtruere cupientem, alienigenae regis Tyri auxilium popoſciſſe. Qui miſſo ad ſe Hyram filio mulieris viduae, quidquid divina ſapientia ſuggerente praeclarum in templo Domini, vel in ſacris vaſis moliebatur, miniſterio ejus, ac diſpoſitione perfecit.* Fallor? An legendum? *regis Tyri auxilium popoſciſſe, quum miſſo ad ſe H.* Niſi ex ſiglis errorem malis ortum credere, & legendum: *popoſciſſe. Qui* (rex Tyri) *miſſo ad Sa-*

Salomonem Hyram &c. Sed & ſcribi poſſet, *popoſciſſe. Quin miſſo ad ſe H.* Porro ſapientiam ego Salomonis anguſtioribus finibus circumſcribendam arbitror, quam vulgo fieri ſolet. Neque enim verba quae habentur lib. III. *Reg.* Cap. 3. vſ. 12. mihi videntur de Regibus (multo minus hominibus omnibus) per totum orbem capienda; ſed iis tantum, qui inter Iſraelitas, ſeu Judaeos, vel ante Salomonem, vel poſt eum regnum tenuerunt. Illos ſane, quotquot fuerunt, eximia ſua ſapientia ac rerum prudentia longe exſuperavit rex Salomo; ut ex ſingulorum horum geſtis conſtat. Receptae equidem opinioni non obniterer multum; niſi mihi valde adpareret lubrica, atque infinitis laborare difficultatibus; quibus, ſalva θεοπνεύςȣ ſcriptoris auctoritate, vix expediemur. Quare malo ego nudam ac ſimplicem veritatem ſequi, utut multis (neque aliter fieri poteſt) inviſam, quam contortis explicationibus indulgere, & profanis ita hominibus anſam dare, verbum Dei deridiculo habendi. Quorſum haec pertineant, facile animadverterint cordatiores, & vere viri. Ceteros irato linquamus genio.

Ibid. fere in medio. *Praeſertim cum harum rerum ratio nequaquam poſſit otioſa meditatione doctrinaque verborum, vel tradi, vel intelligi, vel memoria contineri: tota namque in ſola experientia uſque conſiſtit.* l. *in ſ. experientia uſuque c.*

Lib. I. Cap. II. *Petro etiam in cuſtodiam carceris ab Herode detruſo, & ad necem die poſte-*

ro producendo, Angelo aſſiſtente praecipitur: Praecingere & calcea te caligas tuas. l. *calcea te caligis tuis.*

Cap. III. *Veſtis quoque ſit monachi quae corpus contegat tantum, & repellat nuditatis verecundiam.* l. *v. q. ſic ſit monachi.*

Ibid. *Ita ſtudioſis accurationibus aliena, ut nullis rurſum ſint affectatis per incuriam ſordibus decolorata.* l. *ſt. a curationibus al.*

Ibid. *Non eo nobis monaſteriorum eſt regula ſancienda, vel antiqua ſanctorum patrum ſunt perturbanda decreta.* f. *m. eſt regula ſaucianda.*

Sub fin. *Quo cunctis ſuper imminente urbis everſione lugentibus, eodemque amictu circumdatis, nullus poſſet a quoquam oſtentatione notari.* l. *a quaquam oſt. n.*

Cap. IV. *Scilicet ut innocentiam & ſimplicitatem parvulorum jugiter cuſtodire etiam imitatione ipſius velaminis commoveantur.* l. *commoneantur.*

Cap. IX. *Nam & baculum geſtaſſe eosdem viros, etiam Eliſaeus, qui unus ex ipſis eſt, docet.* l. *jam & b.*

Cap. X. *Hoc interpretantes, uſu earum vel Dominica permiſſione ſignari.* l. *velut Dominicam permiſſionem ſ.*

Lib. V. Cap. I. *Nunc arripere colluctationem adverſus octo principalia vitia veſtris orationibus Do-*

Domino conſortante diſponimus. l. *Domino nos conſ. d.* Paullo poſt pro, *vel ut proprius exprimatur*, l. *propius*.

Cap. II. in fine. *Ac ſpiritalibus remediis adrorati ad refrigerium perfectionis puritate cordis mereamur educi.* f. *ſp. r. adroborati.*

Cap. VI. *Quibuslibet eſcis refectus venter ſeminaria luxuriae parit.* l. *refertus.* Nam ſequitur, *nec praevalet mens diſcretionum gubernacula moderari, ciborum pondere praefocata.*

Ibid. *Et quia per ſaturitatem panis inexſtinguibili fuerant ardore ſuccenſi, judicio Dei coelitus ſunt igne ſulphureo concremati.* Meliusne? *imbre ſulphureo c.* Althelm. *de Princip. vit.* vſ. 72:

Cum ſcortatores, & molles ſorde cinaedos,
Qui Sodomae facinus patrabant more nefando,
Caerula ſulphureis torrerent flumina flammis.

Prudentio *in Hamartig.* vſ. 730. *nimboſum ſulphur* dicitur.

Cap. VII. *Habet etiam corporis inbecillitas continentiae ſuae palmam, dummodo eſcis defectioni carnis indultis adhuc indigentem ſe refectione defraudet.* f. *d. eſcis refectioni carnis indultis adbuc ind. ſe defectione d.* Cap. 9. *Sed niſi hanc frugi fuerit ciborum refectio ſubſecuta, ad integritatis calcem non poterit pervenire.*

Ibid. *Quidquid enim fortitudinis cauſſa eſu*

eorum percipitur, aegritudinis labore ac defectione conſumitur. An? *aegr. l. a refectione c.*

Cap. ix. *Tantum enim debet unusquisque ſibi frugalitatis indicere, quantum corporeae obluctationis pugna depoſcit.* l. c. *oblectationis p. d.*

Lib. xi. Cap. i. *Ita ut quibuslibet perſpicaciſſimis oculis non dicam caveri, ſed perviderí deprehendique non poſſit.* f. *praevideri.* Sed alias in Caſſiano plura.

CAPUT VIII.

Camplures eluuntur maculae ex Marii Victorini carmine de fratribus Maccabaeis. religionis atque ſuperſtitionis vera differentia. timor, pro religione.

Non eſt omnino inelegans Marii Victorini Carmen *de Fratribus Maccabaeis*; ſed foede corruptum. Nobis, dum hoc ipſo die per otium forte relegimus, ſequentia in eo obſervare licuit.

Princip.

Rex fuit Antiochus Syriae ditiſſimus olim,'
In cujus regno mater natique fuiſſe
Septem (ut fama refert) de ſancta gente creati:
Quos cura aſſidui generis meminiſſe jubebat,
Et legi ſervire datae: ſic namque volentes
De populo meliore Dei ſua jura tenebant.

Pas-

Paſſim hic peccatur in ſenſum, & Grammaticam. Utrique huic malo en tibi praeſentiſſimum remedium:

In cujus regno mater natique fuere
Septem (ut fama refert) de ſancta gente creati:
Quos cura aſſidue generis meminiſſe jubebat,
Et legi ſervire datae: ſic namque colentes
De populo meliore Deum ſua jura tenebant.

Sequitur:

Rex avidus mutare fidem, mutare timorem
Voluit. Forte *mutare vigorem.* An tamen *timorem* pro religione poſuit? Virgil. VII. *Aeneid.* vſ. 60:

Sacra comam, multosque metu ſervata per annos.

Ubi Servius, METU, *Religione, quae naſcitur per timorem.* Quo fere pertinet hoc Iſcani lib. I. *Quippe Deum genitore metu.* & Petronii, *Primus in orbe Deos fecit timor.* Sed ita illi poetice magis, quam ethice. Vera alioquin religio in amore conſiſtit: ſecus atque ſuperſtitio; quae Deum poenae formidine horret potius, quam veneratur. Aureum proinde eſt Senecae effatum: *religio Deos colit, ſuperſtitio violat.* Hodie vero multi opinantur aliter; nimirum

—— —— *Quibus hinc toga, calceus hinc eſt,*
Et panis, fumusque domi.

Iis nihil nunc occinemus, niſi Lucani haec de Druidis:

Solis noſſe Deos, & coeli Numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum.

℣, 10.

Et quidquid poſſet totum perquirere regnum.

l. *totum per quaerere regnum.*

vſ. 16.

Pertulit illa tamen gemitus, & triſtia regis
Verbera non timuit.

Monemur ex ſenſu legere, *nec tulit illa t. g.* aut, *nec dedit i.*

℣. 19.

Non tamen effugies: plus eſt, quod plura dolebis.

Illud *plura* ad plures hinc abeat, per me equidem licet. Subſtituendum puto, *plus eſt, quod dura dolebis.*

℣. 39.

Concutit & ſaevos teſtatus lumine vultus.

l. *conſtitit & ſ.*

℣. 42.

Vos

Vos famuli parete mihi, data regna furenti
Femineo tormenta malo, ſaevire furentem
Femina me cogit; quod plus eſt, ſemina vincit.

Facilius haec depravata animadvertere, quam emendatiora dare. Tentabam tamen:

Vos famuli parete mihi, data regna, ſerenti
Femineo tormenta malo.

Aut hoc modo:

Vos famuli parete mihi, date magna furenti
Femineo tormenta malo.

ỷ. 89.

Temporis ecce levis accenſus cogitur ignis,
Virtutis locus eſt, languentem pone timorem.

Reſcribendum ocius, & ſine ulla deliberatione:

Temporis ecce brevis accenſus cogitur ignis,
Virtuti hic locus eſt, languentem pone timorem.

ỷ. 96.

Accipe nate meos vultus, & reſpice coelum.

l. *adſpice nate m. v.* Firmatur ex vſ. 100:

Sic ut erat monitus, matrem coelumque videre.

ỷ. 104. ſic interpungendum:

Mater ut hos vidit, rigido ſic ore locuta eſt,

Felix parte aliqua: cum jam vis &c.

℣. 108.

—— —— Deus hic namque omnia cernit.

l. *Deus haec n.*

℣. 123.

Sunt tibi jam fratres pietatis ſede manentes,
Jam locus eſt melior quam regna labentia regis:
Quorum ſi proprios attingis pectore ſenſus.

Quid iſta ſibi velint, nemo, credo, dixerit. Lege amabo:

Jam locus his melior, quam regna labentia regis:
Horum ſi proprios attingis pectore ſenſus.

℣. 133.

Subnixoque genu matris figebat in ore,
Qua licet adſpectum corpus, qua turba tegebat.

Lege illico; neque enim in his multum morari lubet:

Subnixoque genu matris figebat in ora,
Qua licet, adſpectum, corpus, qua turba tenebat.

℣. 142.

Quid

Quid nunc dire paras? juſſis paremus, & omnes
Munera, ſed partus cuſtos ne ſubtrabat ulla.

Monſtroſa ſententa! Age, ſcribamus:

Quid nunc dire paras? juſſis paremus ovantes;.
Munera ſed partus cuſtos ne ſubtrabat ulla.

Virgilius, quem imitatur frequentiſſime, lib. III. *Aen.* vſ. 189:

Sic ait: & cuncti dicto paremus ovantes.

& lib. IV. vſ. 576:

—— —— —— Sequimur te, ſancte, Deorum
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.

Pro *munera* vin' *funera* legi? Sed quid exigit? vſ. 146.

Temporis ipſe tui mutes licet horride poenam,
Duraque quae ſanctis eadem ſententia natis.
Sed graviora paras, ſi ſunt graviora, minari.

Et hoc portentum ita mecum expia:

Duraque quae ſanctis eadem ſententia natis,
Seu graviora paret, ſi ſunt graviora, minari.

Sequitur:

Quodque meos cernis vultus horrore teneri,
Gau-

Gauderes partem quoties decernis in iſtam.

l. *Gaude rex, partem q.* Ironice!

Addit:

Ardet at ipſe magis rapida rex concitus ira,
Contemnique putat, ne ſicut cetera fratrum
Turba ferat poenas, matrem hoc quoque quaerere ſentit.

Perplacet mihi, neſcio an tibi:

Ardet at ipſe magis rabida rex concitus ira,
Contemnique putat ſe, ſic ut cetera fratrum
Turba ferat poenas, &c.

vſ. 155.

—— —— —— Laſſati namque miniſtri
Nec regis furias, nec regem ferre volebant.

l. *valebant.*

vſ. 178.

—— —— —— Dominum quia ſola potentem
Mente colit, mixtae nec turbae acceſſit iniquae.

Lege; nam quid praefari attinet?

Mente colit fixa, nec turbae acceſſit iniquae.

vſ. 196.

Hoc ipſo eſt gaviſa parens, quod qui modo triſti
Con-

Conſtiterat vultu, fretus quod pectore tuto
Paruerit monitis, regis contemtor & irae.

l. *fretus quoque pectore toto.* aut, *fretus mox p. t.* Paullo ante vſ. 192. editur:

Mira loquar, non flamma comas, non contigit ora:
Exanime ut corpus flammae ſuperaverat ignis.

Legendum autem:

Mira loquar, non flamma comas, non contigit ora;
Exanime ut corpus flammae ſuperaverit ignes.

vſ. 199.

Sic exorſa parens, cum rex dubitaret in illos
Qui ſuperans gemitusque daret, pia turba miniſtri
Regem execrantur, tanto ſermone querentes.

Vix dubito, quin a Victorini manu venerit:

Sic exorſa parens, cum rex dubitaret an illos, (aut *in illis,*)
Qui ſuperant, gemitusque daret; pia turba miniſtri
Regem execrantur, tacito ſermone querentes.

Forſitan maluerit aliquis:

——— *gemitusque darent, pia turba, miniſtri,*
Regem execrantes, tacito ſermone querentes.

Ego vero, ne moroſus videar, huic lubidini non adverſabor admodum.

ỳ. 207.

Jam ſentis quem poena petat, jam gloria nobis
Parte in utraque manet, liceat producere nullis.

Legendum, aut ſapio nihil:

Parte in utraque manet; liceat producere cunctis.

Continenter addit:

Nam quoſcumque tuum juſſiſti excedere regnum,
Forſitan hoc morem credas furioſe tyranne,
Longa magis vita eſt.

l. *forſitan hoc mortem credas f. t.*

ỳ. 218.

Concipit Antiochus furias, ſaevusque tyrannus
Exhibet, & gemitus intra ſua pectora volvit.

Niſi omne mihi ingenium excidit, ſcribi oportet faventibus Muſis, *ſaevusque tyrannus excidit, & g.*

ỳ. 234.

Nec vano pereant ignes, dubiusve videre
Rex poſt iſta reor, timor eſt mihi femina nullus.

Le-

Lego, &, ni fallor, recte lego:

Nec (aut *ne*) *vano pereant ignes, dubiuſve videri*
Rex poſt iſta rear.

✝. 251.

Mens maneat jam plena Deo: ſit fortior aetas
Quam regi ſperare fuit, ſperare jubentis.

Forte, *ſperare jubenti*. Sed malo, *ſperare juvanti.*

✝. 308.

Sed qui mutavit meritis hominumque loquelas,
Longa referre mora eſt, coeptis inſiſtere certum eſt.

Fruſtra hic ſenſum quaeſivi; & forte omnes fruſtra quaerent. An non legendum?

Et qui mutavit mentes hominumque loquelas.

Aut hunc in modum, ſi quis praeferat:

Sed quî mutarit mentes, hominumque loquelas,
Longa referre mora eſt.

✝. 317.

Occupat & totis quaeſitam lympha latebris.

l. *notis*. Etiam in τῳ *quaeſitam* latet aliud verbum. Quod tamen me latet hactenus. Fortasſis autem deſiderantur verſus aliquot.

ỳ. 321.

Credite poſſe Deum, quidquid petieritis illum,
Sed tamen banc virgam durum diffindere ſa-
xum.

Lego, dum meliora accipiam aliunde, & *tenuem banc virgam.* Recte *tenuis virga* obponitur *duro ſaxo.*

ỳ. 324.

Percuſſitque ſimul: dicto velocius, amnis
Emiſit ſaxum fontes dulcedine prima.

l. *dicto velocius amnes emiſit ſaxum, fontes* (aut *fontem* &) *dulcedine prima.* Et haec ſufficiat in hoc Marii Victorini carmen extemporanea velut opera adnotaſſe.

CAPUT IX.

Quinque Alcimi Aviti locis verior procuratur lectio.

Multa ſunt, quae jam ab aliquo tempore emendavimus in Alcimo Avito. Quatuor nunc tantum vel quinque loca ex libro ejus ſexto Poematum, ſive *de laude virginitatis*, levi brachio perſtringemus.

vſ. 72.

Spem-

Spemque metumque inter, quamquam jam libera voto,
Fert tamen attonitas ſic laeta quod anxia curas.

l. *ſic laetaque & anxia.* De quo te ambigere ſententia non ſinit; quae omni exceptione hanc emendationem majorem pronunciat.

vſ. 115.

Nunc decet attonitos cauta te voce monere.

Forte, *nunc decet at monitos.* aut, *admonitos.*

vſ. 138.

Nam qui diffuſam ſpatio laxante plateam
Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli ſorte ligabit.

Una literula paullum inmutata, ſanitatem ſuam recipient haec verba, qua carent hactenus. Lege, *mundanus ludens ſ.*

vſ. 155.

Non carnis, ſed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire.

l. *non carnis, ſed legis aves c. ſ.*

vſ. 159.

Sic taedas temſiſſe, pio quod amore calere,
Pigra voluptati ferveſcere corda labori.

Legendum, ut ſuum recuperet Avitus, hoc pacto:

Pigra voluptati, ferveſcere corde labori.

CAPUT X.

Varia in Althelmi Poemate de octo vitiis integritati redduntur, aut illuſtrantur etiam. vitiorum crimina, arcana ſecretorum, & ſimilia plura. locus e Collatione legum Moſaicarum & Romanarum tentatus, aut vindicatus potius. Virgilius explicatus, & aſſertus. leucus Althelmi verbum, ex Graeco. &c.

Althelmi Poemati *de octo principalibus vitiis* deſtinavimus hoc caput. Et ſine longiori prologo in rem praeſentem veniemus.

vſ. 19.

Occurrunt vitiis geſtantes bellica ſigna.
Caſſida cum thoracis, nec non ancile duelli.

l. *geſtantes bellica ſigna, caſſide cum thoracas, n.*

vſ. 20.

Se in ſpatium pariter portant ad praelia mundi.

Le-

Lego, *quae in ſp. p.*

vſ. 22.

Saeva profanorum contendunt tela ſparorum.

l. *contemnunt t. ſ.* Infra, *letiferi primum verbi contentio praeceps.* Optime Hanckius, *contemtio pr.*

vſ. 30.

Cetera ni fuerint vitiorum crimina ſeptem
Ad diram proſtrata necem graſſantibus armis.

An? *vitiorum ſemina.* Sed alterum ſe tueri poteſt. Juſtinus lib. 11. Cap. 6. *Erant inter Athenienſes & Dorienſes ſimultatum veteres offenſae.* Caſſian. lib. v. *de Inſtit. coenob.* Cap. 2. *arcana ſecretorum.* Sulpic. Sev. *de vita Mart.* pag. 21. ed. nov. *Cum itidem templum opulentiſſimum ſuperſtitione religionis vellet evertere.* Unde forte defendetur vulgata ſcriptura in Edicto Diocletiani & Maximiani, apud Auctor. *Collat. leg. Moſ. & Rom.* Tit. xv. §. 3. *Et quaedam genera inaniſſima ac turpiſſima doctrinae ſuperſtitionis inducere ſuadent.* Antea *Spec. Crit.* p. 46. volebam, *doctrinae ſuperſtitioſae i. ſ.* Nec etiam inſulſe legeretur, *quaedam genera inaniſſimae ac turpiſſimae doctrinae ſuperſtitionibus inducere ſuadent.* De quo frequenti errore adi vir. doct. *Obſ. Miſc.* vol. v. pag. 200. At nihil mutari praeſtat. Confer tamen nobiliſſ. Röver. *Spec. Inaugur.* Cap. 12. Quid ſi & ita *Olympum coeli* Virgilius dixerit? lib. vi. *Aen.* vſ. 579:

Quan-

Quantus ad aetherium coeli ſuſpectus Olym-
pum.

Ubi Petri Petiti correctionem probare non poſſum *in Obſerv. Miſcell.* lib. III. Cap. 21. Etenim pro recepta ſtat Falconia Proba, elegantiſſimi ingenii femina, *in Centone Virgil.* vſ. 63. 64. quae eodem modo exhibet. Verum ad reliqua pergendum eſt.

vſ. 42.

Ebrietasque ſimul, nec non & crapula cordis.

Agitur hoc loco de corporis vitiis, & vera ingluvie, ac crapula. Quare hinc *cordis crapula* exſulare debet, & ſcribi, *nec non & crapula ſordens.* aut *turpis.* vel ſimile quid.

vſ. 79.

Quid memorem ſaepe temulentum nectare Ne-
bal.

l. *ſaeve temulentum.* aut, *ſaevo* i. *nectare.*

vſ. 84.

Heu quantos demens, ſeu quales ſtragis acervos
A rege ſpreto pateretur lentus in aula!
Ut nullum paries mingentem lotia noſſet.

Τὸ *lentus* hic me torſit multum, & prorſus lente. Nec in hanc horam capio, quid indicaturum ſit. Videor autem mihi reperiſſe ipſiſſimam Althelmi manum. Scribendum enim reor:

Heu

Heu quantos demens, ſeu (vel *heu*) *quales ſtragis acervos*
A rege ſpreto pateretur! leucus in aula
Ut nullum paries mingentem lotia noſſet.

Leucus more ſuo effinxit Noſter e Graeco λευκος. i, e. *albus.*

vſ. 90.

Spiritus ut nequeat paradiſi ſcandere ſceptrum.

Scandere ſceptrum locutio nulla. Scribo, *p. ſcandere centrum.*

vſ. 120.

Sic vitium carnis polluta ſorde renatis
Integritas almo contemnit caſta triumpho.

Ut, quod ipſe ſcripſit, renaſcatur Althelmo, ſic oportebit legere:

Sic vitium carnis, pollutae ſorde reatus,
Integritas almo contemnit caſta triumpho.

vſ. 143.

Credita qui rabidis furtim marſupia palmis
Compilat. — — — — — —

l. *rapidis.* Qualis error millies obvius.

vſ. 160.

Membraque purpureo tabo perfuſa ruebant.

l. *fluebant.* Virgil. III. *Aen.* vſ. 626:

—— Vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

l. un. Cod. *de emend. ſervor.* *Aut tabeſcentes artus atro ſanguine permixta ſanie defluentes.*

vſ. 200.

Quanquam puſillanimes trux deſperatio mentes
Opprimit incautum obtentu rancoris amari.

Lege, ſi vis ullum habere ſenſum:

Jamque puſillanimes trux deſperatio mentes
Opprimit incautûm, (i. e. *incautorum,*) *obtentu rancoris amari.*

Aliter ſummus Gronovius *Obſerv. in Script. Eccleſ.* Cap. 23. p. 256.

vſ. 203.

Geſtans triſtitiae pariter genus omne mucronum,
Quae mentem ſtimulare ſolent, ni forte fatiſcat.

l. *qui mentem ſ. ſ.* aut, *quo mentem ſtimulare ſolet.* tum, *ne forte f.* Contra peccatum in vſ. 214:

Ne deſperatus medicantem ſpreverit aeger.

l. *ni deſperatus m.*

vſ.

vſ. 247.

Heu ſcelus, heu facinus miſeris mortalibus ortum,
Et hoc ex vana praeſertim gloria fretus,
Haud meruit princeps ſpe circumventus inani,
Et hoc gignuntur vitiorum fomite clades.

Multiplex vitium! quod uno inpetu ſic ſanatum eo:

Heu ſcelus! heu facinus miſeris mortalibus ortum!
Et hoc ex vana praeſertim gloria: fretus
Hac periit princeps, ſpe circumventus inani:
Ex hoc gignuntur vitiorum fomite clades.

ỷ. 260.

Et graditur ſemper faſtu comitata maligno,
Dumque pedes pergit per mundi crimina fallax,
Sed criſtata caput quaſſat ſub nubibus atris.

Neque haec ſe recte habent; habebunt autem, ſi legamus:

Dumque pedes, ſpargit per mundum crimina fallax.

Virgil. IV. *Aeneid.* vſ. 177. de Fama:

Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Gronov. *in Script. Eccl.* p. 257. *ac pedibus pergit.* An ex membrana, non additur.

ẏ. 300. de lapſu primi Angeli:

Jamque novem lapidum forma phaleratus amoena
Contra creatorem fruſtra turgeſcere coepit.

Quid hic *novem lapides*, neſcio. Id ſcio, ferri vulgo, Angelum illum ante lapſum ſplendore ſuo reliquis praeluxiſſe, & inde nimium ſuperbiendo caſum ſibi maturaſſe. Unde quis vellet legere:

Namque novem facium forma phaleratus amoena.

Caſſianus, in eodem argumento, lib. XII. Cap. 4. *Hic namque* (Lucifer) *indutus divina claritate, & inter ceteras ſupernas virtutes conditoris largitate praefulgens, ſplendorem ſapientiae & virtutum pulcritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, naturae ſuae potentia, non munificentiae illius beneficio ſe credidit obtinere. Et ob hoc elatus, tamquam qui ad perſeverantiam puritatis hujus divino non egeret auxilio, Deo ſe ſimilem judicavit* (Althelmus paullo ante, *Domino ſimilem ſe fraude ſpoſpondit*) *utpote* &c.

vſ. 311. & ſeqq. interpungendi ſunt hoc modo:

Peſtiferum natrix ructans de fauce venenum
Denique ſi potuit coeli mulcare catervas;
Plus ſe terrenus mundani cultor agelli
Hic (ſ. *hinc*) *metuat multo dypſam lacerare ſuperbam.*

Con-

Conſtructio confuſior ſic in ordinem cogenda: Denique ſi natrix, ructans venenum de fauce, potuit mulcare catervas coeli; cultor terrenus mundani agelli hic multo plus metuat, lacerare ſe dypſam ſuperbam. id eſt, ex genio Althelmi, metuat, ne ſe laceret dypſa ſuperba. Eleganter omnino. Scilicet!

ỷ. 321.

Fruſtra virginitas laudem rumoribus aptat.

l. *rumoribus optat.*

ỷ. 393.

Qualiter ex propria meruiſſet carne coronas.

Ob praecedentia ſcribendum, *meruiſſent c. c.* Sed forte aberrarunt typi. Alia mihi editio nunc ad manus non eſt. Quare, ſi & forte in reliquis tale quid evenerit, condonari hoc velim homini longe innocentiſſimo. Quis enim perſcrutari poſſit omnia? Seculi iſtud res foret, & tyrannis dura nimis; maxime juveni, nec admodum Laconico.

ỷ. 439.

Arbiter aeternum mihi jam miſereſcat in aevum.
Qui laetabuntur per coeli culmina ſancti.

l. *m. in aevum, cui laetabuntur p.*

ỷ. 458.

Dum decies denis modulantur millibus odas,
Et quater undecies conclamant carmine Chri-
ſto.

l. *millibus odis.* Et his, Althelme, χαιρε και ευψυχει.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

Sulpicius Severus ſaepius emendatur, & illuſtratur. converrere quid ſit. Gellius explicitus. Ovidii locus in principio Metamorphoſeos tentatus. translatus i. e. in coelum translatus. commendatum & commodatum eadem, aliaque.

CAPUT II.

Iterum pluribus in locis corrigitur, aut explicatur Sulpicius Severus. Joſephus Iſcanus tentatur. Juvenalis emendatur, et Althelmus. facies libidinis, ſcelerum. Sarepta oppidum. obtulit i. e. offerre voluit, & ſimilia. arma & arva confunduntur. Rutilii unus locus tentatur, alter corrigitur. victus ac vinctus permiſcentur.

CAPUT III.

Porro Sulpicius paſſim emendatur, vel ex-

explicatur. Hiſtoria Suſannae. intaminatus verbum Horatii. antecaptivitas una voce. ſemperlenitas etc. barbaricus. Iſcanus correctus. Idem, et Terentii locus tentatus. Althelmo ac Corippo reſtituta lectio. omina et omnia permutantur. atque alia.

CAPUT IV.

Iterum varia Severi loca correcta, aut illuſtrata. Conſtantini Chriſtianiſmus. exſtinctum funus. ſeminarium diſcordiae. Priſcillianiſtae. Sabina arbor. audientia propria Epiſcoporum. nunc de praeterito.

CAPUT V.

Plura ad Sulpicii vitam Martini notantur. Sophiſtae ac Rhetores conjuncti. editio Clerici Sulpiciana. Epiſtolae ſeptem, a Baluzio & Dacherio editae, Sulpicii Severi non videntur. homines & omnes permixti. Optatus Milevitanus correctus, & Corippus. ne pro nequidem. etiam & enim confuſa. Ammianus Marcellinus ſanitati redditus. urguere. vocatio in jus. in edicto praetoris de in jus vocando parentum

tum nomine non continentur ſocer vel ſocrus. convicia noſtra, injuria noſtra, & ſimilia, ſenſu paſſivo. aliaque.

CAPUT VI.

Poſt Severi dialogos, multa obſervantur ad carmina nonnulla ex baſilica Martini, quae Eckhardus & de Prato ediderunt. ſaevus & ſcaevus centies commutantur. Tacitus & Sedulius emendati. item Althelmus. uſus quotidianam neceſſitatem indicat. Petri Apollonii locus forte vindicatus. &c.

CAPUT VII.

Quaedam de Minucio Felice praelibantur. Moshemii laus. Minucius ſaepe tentatus, aut reſtitutus. Iſcanus bis, Guntherus ſemel corrigitur. in Cicerone firmata Bynkershoekii emendatio. index, judex, indicium, judicium, ſaepiſſime miſcentur. Martiani Capellae unus & alter locus veram lectionem recipit. item Horatii forte, & Sedulii. igitur & jugiter confuſa. & alia nonnulla.

CAPUT VIII.

Quaedam de Althelmo. idem correctus ſaepe, & illuſtratus. variis Corippi

 locis

locis genuina lectio reſtituitur. faſtus in ſingulari, pro libro. Virgilius a vi majore vindicatus. ſiccus i.e. ſolus. aut & haut permutata. Seneca philoſophus emendatur. vocula neu a librariis paſſim de ſede depulſa. Tacitus, nec non Iſcanus mendo liberati. tentata olim in Corippo emendatio retractatur. fera pro bellua marina. fluctivagum mare.

CAPUT IX.

Cypriani libellus de idolorum vanitate multimodis emendatur. ejusdem Cypriani diverſa in Minucio Felice lectio notatur. duit. Commodiani locus forſitan correctus. deductor. Acta Casſiani metro deſcripta ſuam recipiunt ſcripturam.

CAPUT X.

Complura Althelmi emendantur. idem primam in teſtantur, geſtorum, & ſimilibus, quo modo corripiat, paucis notatur. cluſtella. patulum crucis. Althelmi plectentes, caephal, caumata, Graeco idiomate. ejusdem ex Proſa locus breviter illuſtratur. carinae defrutum. Corippo medicina. &c.

L I-

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

Optato Milevitano liberali manu paſſim ſuccurritur. Tertullianus obiter correctus. de hodiernis Haeretificibus, data occaſione, quaedam diſſeruntur, fortaſſe non injucunda. Theodori Bezae aſperum ingenium. Marcellini Comitis e Chronico locus reſtituitur. praepoſitio de abundat ſaepe. audacisſimae translationis unum & alterum exemplum. tanti i.e. tot. Corippus certisſime emendatus. Pſeudo-Dictys vindicatus. Circumciſionis cauſſa phyſica in tranſitu obſervatur. &c.

CAPUT II.

Multa Sedulii emendantur, vel illuſtrantur. de Chriſtianis Poetis notantur pauca. Auctor epiſtolae ad Claudiam ſororem forſan gloſſemate liberatus. atque alia quaedam.

CAPUT III.

Joannis Saresberienſis nonnulla leviter corriguntur.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Guntheriano Poemati plures abſterguntur maculae. Corippo data ſanitas. ferre i. e. auferre. argumenta librorum praeſenti ſemper tempore concipiuntur. Guntheri opus nonnemini ſuppoſitum videtur. dubiae Latinitatis notiones unius Guntheri auctoritate non ſunt civitate donandae. Lucano ſalus. & plura.

CAPUT V.

In Severi Sancti, ſeu Endeleichi carmine de mortibus boum caſtigantur pauca.

CAPUT VI.

Magna errorum ſeges Joſepho Iſcano eximitur. idem ſaepius lucem accipit. deferre. nuda mulier, quae ſine marito. ſynaereſis in multis auctorum locis obſervatur. commisſi olim in Corippo erroris deprecatio. idem obiter vindicatus. Jovem tetraſyllabum. fulmen. verſus rotunditate, & ſententiae pondere inſignes. Virgilio ſuum redditur, & Lucano; nec non Pedoni Albinovano bis forſitan. hiatus in verſu fre-

frequens apud optimos Poetas. Silius Italicus & Julius Exuperantius reſtituti. multaque alia breviter notata.

CAPUT VII.

In Joannis Caſſiani de inſtitutis caenobiorum libris emaculantur quaedam. de Salomonis ſapientia brevis animadverſio, a vulgari opinione disſidens.

CAPUT VIII.

Camplures eluuntur maculae ex Marii Victorini carmine de fratribus Maccabaeis. religionis atque ſuperſtitionis vera differentia. timor, pro religione.

CAPUT IX.

Quinque Alcimi Aviti locis verior procuratur lectio.

CAPUT X.

Varia in Althelmi Poemate de octo vitiis integritati redduntur, aut illuſtrantur etiam. vitiorum crimina, arcana ſecretorum, & ſimilia plura. locus e Collatione legum Moſaicarum & Romanarum tentatus, aut vindicatus potius. Virgilius explicatus, & aſſertus. leucus Althelmi verbum, ex Graeco. &c.

INDEX AUCTORUM,

Qui caſtigantur, vel explicantur.

Acta Caſſiani metro deſcripta 75.
Albinovanus 155. 156.
Alcimus Avitus 172. ad 174.
Althelmus 11.13.22.43.61.ad 71.78. ad 95. 174. ad 181.
Ammianus Marcellinus 38.
Carminum ex Baſilica S. Martini Sylloge 47. ad 51.
Caſſianus 158. ad 162.
Cicero 53.
Collatio legum Moſaicarum & Romanarum 175.
Commodianus 74.
Corippus 23. 37. 63. 64. 65. 67. 69. 70. 94. 107. 124. 125. 143.
Cyprianus 72. ad 77.
Dictys Cretenſis 107.
Exuperantius 157.
Gellius 3.
Guntherus 53. 124. ad 132.
Horatius 20. 54.

Inſti-

Inſtitutiones Juris 36
Iſcanus 11. 22. 52. 53. 68. 135. ad 157.
Juvenalis 12.
Lucanus 132. 154.
Marcellinus Comes 105.
Marius Victorinus 162. ad 172.
Martianus Capella 22. 54. 59.
Minucius Felix. 51. ad 60.
Optatus Milevitanus 37. 97. ad 113.
Ovidius 3.
Pandectae Juris Romani 40.
Petrus Apollonius 48.
Regum libri 159.
Rutilius 15. 16.
Saresberienſis 122. 123.
Sedulius 43. 59. 114. ad 122.
Seneca Philoſophus 67.
Severus Sanctus 133. 134.
Silius Italicus 156.
Sulpicius Severus 1. ad 47. 118.
Tacitus 43. 67. 119. vid. *Omiſſa*.
Terentius 22. 23.
Tertullianus 98.
Venantius Fortunatus 63. vid. *Omiſſa*.
Virgilius 65. 66. 152. 175. 176.

E R-

ERRATA ET OMISSA.

Pag. 4. vs. 21. lege *translatus*. p. 16. vs. 17. l. *ſidera*. p. 63. vs. 6. l. *interim*. Ibid. vs. ult. adde: Legendum ibi *ſ[illegible]* *internus*. p. 64. poſt vs. penult. inſere: Hoc etiam modo corrigo Creſconium meum lib. II. vs. 404:

Priſcorum hoc uno vicit novus omnia facto
Facta prius princeps. i. *pius*.

p. 65. vs. 4. l. *ſecula*. p. 74. vs. 22. pro, cl. Davies., l. Nic. Rigalt. Ibid. vs. 25. l. Rigalt. *vivere duat*. Davies. *v. dicis*. Malo &c. p. 81. vs. 10. l. *falſo*. Ibid. vs. 13. l. *ſubſequitur*. Ibid. vs. 15. l. *detegitur*. p. 117. vs. 14. poſt *correxi* adde: Sed & pro *mactatur* legendum videtur *mox ſtatur*. i. e. ſiſtitur. p. 119. poſt vs. ult. inſere: Eadem locutio reſtituenda forſan Tacito III. *Hiſt. C. 66. Egregiae domus honores deceret. f. foedaret.* Niſi Gronovii *deleret* magis placeat. Aliter clariſſ. Trillerus *Obſerv. Critic.* lib. III. Cap. 10. p. 132. vs. 25. l. *dubiam*.

VA1
1513071

Digitized by Google

116
A
110.